



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani**

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuissimè explicantur

**Gavanti, Bartolommeo**

**Antverpiæ, 1646**

Sectio Tertia. De Rubricis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40233**

6 Aduentus autem non habet primum diem certum, sed eum diem Dominicum qui propinquior est Festo sancti Andreæ, & loco citato explicauimus.

## De Calendario. CAP. V.

1 **C**alendarium à Calendis dictum est. Calendæ verò primus dies mensis est, à *καλέω*, id est voco; tunc enim Pontifex calato, hoc est, vocato populo, quot dies à Calendis ad Nonas superessent, pronuntiabat, *Plut.* Caledaria quoque dicebantur Tabulæ, ab obseruatione singulorum mensum, vt Diaria, à singulorum dierum ratione. Et nos in singulis mensibus obseruamus Festa

Christi Domini nostri, & Sanctorum. *Durandus lib. 8. cap. 4.* explicat Calendas, quasi colendas; quia tunc erat semper Iunoni festus dies primus: ergo Calendarium & Colendarium erunt ferè idem, à cultu Festorum dierum. Matriculam Sanctorum vocat *Radulph. Propos. 17.*

2 De Festis in Calendario descriptis, quando & quo ritu fuerint descripta, in Proprio de Tempore & in Proprio Sanctorum singillatim enarrabimus.

3 Ex prædictis autem Computo & Calendario composuimus ordinem Officij diuini perpetuum, & quàm breuissimum, quem in calce huius Operis, dante Deo, dabimus pleniorē & emendatiorem.

## SECTIO TERTIA.

## De Rubricis.



AGGREDIMVR nunc eam prouinciam, quæ propriè nostra est, explicandi nimirum sacras Leges & Rubricas Breuiarij: de quibus priùs in genere, deinde in specie, ordine seruato eiusdem Breuiarij, erit agendum.

## SECTIONIS TERTIÆ CAP. XII.

- 1 De Rubricis generalibus Horarum  
Canonicalium.
- 2 De Duplici Officio.
- 3 De Semiduplici.
- 4 De Simplici.
- 5 De Dominica.
- 6 De Feria.

- 7 De Vigilia.
- 8 De Octaua.
- 9 De Concurrentia Officij.
- 10 De Occurrentia Officij, seu de  
Translatione Festorum.
- 11 De Commemorationibus.
- 12 De Patrono loci, & Titulo Eccles.

C 2 De



*De Rubricis generalibus Horarum Canoniarum.*

## CAP. I.

**I** DE voce *Rubrica* alibi diximus, initio *Commentar. in Rubric. Missalis, Tomo superiore pag. 1.*

2 Vsurpata fuit eadem vox prius in Breuiario quàm in Missali, & reperitur in *editione Veneta Breuiarij ante annum 1550.* sed Pius V. inscripsit omnes leges Breuiarij titulo Rubricarum generalium, quod antè non fuerat factum.

3 Paucissimi tamen erant earum Tituli, nempe vndecim tantùm, in prima editione iussu Pij V. hausti è Directorio diuini Officij, composito à Ludouico Ciconiolano, Regularis Obseruantia, sub Paulo III. qui & Directorium approbavit.

4 Rubricarum additio, detractio, mutatio prohibentur in Bulla Pij V. in his enim est formula data precandi in Breuiario. Quare, si notabiliter Officio diuino iniuriam facis in obseruantia Rubricarum substantialium Officij, grauius peccas; non ita in accidentarijs accidit Rubricis, puta si sedens recites, quæ flexis genibus iubentur dici, in oratione priuata, secus esse posset in publica, si absque causa fiat, aut cum aliorum offensione, *Suar. Tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 27. nu. 2. & alij apud Bonacin. disp. 1. quæst. 3. pun. 6. num. 1. & 2.*

5 Diuido nunc Rubricas in tres partes, quas prosequar in proximis & distinctis Sectionibus. Alia spectat ad totum integrum Officium; quod est vel Duplex, vel Semiduplex, vel Simplex, vel Dominicale, vel Feriale, vel

de Vigilia, vel de Octaua, vel de Officio S. Mariæ in Sabbato, vel pro Officio Commemorationem habet, vel concurrit cum alio, vel occurrit, ita vt alterius accidat Translatio: de quibus agitur in Breuiario primis vndecim Titulis seu Capitibus. Alia continent ritus proprios maiorum partium, hoc est Horarum, Officij, de quibus à Titulo 13. vsque ad 18. inclusiue, Matutini scilicet, Laudum, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperarum & Completorij. Alia denique versantur circa partium partes, ex quibus ipsæmet Horæ componuntur, nempe Oratio Dominica, Salutatio Angelica, Symbolum Apostolorum, initium Horarum, Inuitatorium, Hymni, Antiphonæ, Psalmi, Cantica, Versus, Absolutiones, Benedictiones, Lectiones, Responsorij, Capitula, Orationes, Hymnus *Te Deum*, Symbolum Athanasij, Preces, Suffragia Sanctorum, Antiphonæ beatæ Mariæ finales, de quibus in Rubricis Breuiarij à Titulo 19. ad Titulum 36.

*De Duplici Officio.* CAP. II.

**V**arietas Officij & Festorum inde est, quia stella, secundum Apostolum, differt à stella in claritate; & quia, ex *Dionysio Areopag.* Ecclesiastica Hierarchia repræsentat aliquantulum in suis actionibus cælestem Hierarchiam, in qua Sancti secundum meritum diuersitatem disponuntur; ideo ad hoc repræsentandum varietas Officiorum diuersorum in Ecclesia reperitur. Hæc *Durand. in Ration. lib. 7. cap. 1.*

2 Hæc vox *Duplex* apud *Durand.* loco cit. habetur, apud antiquiores non habetur; & ex eodem Durando significat,



ficat, Antiphonas in Officio duplicari, hoc est, integras recitari ante & post Psalmos.

3 Diuidit *ibidem* Durandus in Duplex in totum, & in Duplex simpliciter; illud maius, hoc minus *ibidem* appellat: quod nos hodie dicimus Duplex primæ & secundæ classis ex vna parte, & Duplex per annum ex altera parte. Sed in Recognitione Clementina Breuiarij, ad maiorem distinctionem, instituta sunt quatuor genera Duplicium Festorum; primum, quod dicitur Primæ classis; alterum, Secundæ classis; tertium, quod appellatur Maius per annum; quartum, Minus per annum.

4 Primæ classis sunt, Natiuitas Domini, Epiphania, Pascha Resurrectionis cum tribus præcedentibus & duobus sequentibus diebus. quod & habet *Durand. lib. 7. cap. 1.* & de triduo quidem præcedente Pascha rationem reddit *Rupertus lib. 5. de Diuinis Officijs cap. 24.* ob exequias solemnes Christi demortui. Ascensio Domini, *Durand. lib. 7. cap. 1.* Pentecostes cum duobus sequentibus; *Durand. ibidem.* Festum Corporis Christi, *ex Decreto Urbani IV.* Natiuitas sancti Ioannis Baptistæ, Festum sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Assumptio beatæ Virginis, Festum Omnium Sanctorum, de quibus dicemus in Proprio Sanctorum. Dedicatio propriæ Ecclesiæ, *Durand. loco citato.* Patroni Festum, vel Tituli Ecclesiæ. quod innuunt *Micrologus cap. 43.* & *Radulph. Propos. 17.* Sunt igitur Festa in Ecclesia vniuersali numero 18. primæ classis Duplicia.

5 Secundæ classis sunt, Circumcisio Domini, Festum sanctæ Trinitatis, Purificatio, Annuntiatio, Natiuitas

beatæ Virginis, Natalitia duodecim Apostolorum, hoc est de numero duodecim, Festa Euangelistarum, Inuentio sanctæ Crucis (quod fuit additum huic classi à Clemente VIII.) Festum sancti Laurentij, Dedicatio S. Michaëlis Archangeli, de quibus in Proprio Sanctorum. quibus adde Festa SS. Stephani & Innocentium, quæ infra suo loco probabimus. Hæc igitur Festa numero 22.

6 Duplicia maiora per annum, quæ, vt dicemus, integras habent Vesperas in concursu cum alijs Duplicibus minoribus, sunt hæc, Transfiguratio Domini, Exaltatio sanctæ Crucis, Festum Niuus, Visitatio, Præsentatio, Conceptio beatæ Mariæ, Apparitio sancti Michaëlis, Cathedra sancti Petri vtraque, Festum eiusdem ad Vincula, Conuersio sancti Pauli, Festum sancti Ioannis ante portam Latinam, sancti Barnabæ Apostoli, dies Octaua Epiphaniæ, dies item Octaua Corporis Christi & Ascensionis eiusdem; item Patroni locorum minus principales, nisi sint in Calendario Romano altioris classis. Sunt autem Festa hæc numero 16. in vniuersali Ecclesia.

7 Reliqua duplicia sunt minora, quibus in Calendario apponitur hæc vox *Duplex*, & præterea dies Octauæ Festorum Octauam habentium, quarum supra non meminimus; sunt autem illa numero 31. hæc verò sunt numero 9. in Breuiario: ergo Duplicia numero 98. in Breuiario celebrantur.

8 Neque distinguas adhuc, vt Festa Beatificatorum tantum minora sint Festis minoribus Canonizatorum, ita vt habeant hæc integras vtrasque Vesperas (quod est priuilegium Festorum maiorum per annum, *de Concurr.*



*Off. num. 2.*) quia in eorantùm differunt, quòd Canonizati vbique coli possunt, non autem Beatificati.

9 De Privilegijs Festorum Duplicium respectu aliorum, & inter se, dicemus, cùm de Concurrentia & Occurrentia Officij, de Marutino, Precibus, & Suffragijs.

10 De Sancto, cuius insignis habetur Reliquia, si concedatur Officium, fit Duplex minus per annum, sacra Rituum Congregatio 23. *Novemb. 1602.* vt supra diximus *Sect. 1. cap. 5. tit. 2. num. 8.*

### De Semiduplici. CAP. III.

**H**Æc vox *Semiduplex* apud *Durandum lib. 7. cap. 1.* habetur. Dicebatur antea nouem Lectionum, apud *Radulph. Propos. 17.* Alij vocauerunt *solemne, vt in Breuiar. Venetijs edito an. 1550.* Alij, non Duplex, vt legi in antiquioribus Breuiarijs. Idem sonant, eò quòd in Officio nouem Lectiones leguntur, vt à Simplici distinguatur; non duplicantur Antiphonæ, vt differat à Duplici.

2 Semiduplici ritu gaudent Dominicæ per annum, & ea Sanctorum Festa quibus in Calendario apposta est vox *Semiduplex*, numero hodie vltra 40. item dies infra Octauas, quæ iure merito minores sunt die Festo, & die Octaua; sunt autem & hi numero vltra quadraginta: quare Semiduplicia cum Dominicis excedunt numerum 130.

3 De Sancto, cuius Reliquia non insignis habetur, si concedatur Officium, debet esse Semiduplex, ad differentiam insignis Reliquiæ.

4 De Sanctis locorum consuevit

sancta Sedes Apostolica in ijs locis, vbi neque nati neque mortui sunt, neque Reliquiæ insignes extant, concedere Officium Semiduplex, ne Dominicæ Officium, quod est Domini, impediatur ab Officio Semiduplici. quod notat expressè Clemens VIII. 19. *Iunij 1601.* quando concedit vniuersæ Congregationi Eremitarum sancti Augustini Officium Semiduplex de B. Ioanne à S. Facundo Hispano; cuius Bullæ tenorem refert *Castellanus in Compendio Bullarum in tertia editione Venetijs 1605.* Inuentiones, Translationes hac eadem lege colendæ forent, ad differentiam Festorum principalium. quod obseruat Ecclesia in Inuentione S. Stephani Protomartyris, in qua hæc scribimus.

5 De Sancto, cuius habetur Ecclesia Abbatialis, Parochialis, vel Regularium, vel Monialium, hoc solo titulo, fiebat ante annos tres Semiduplex in multis locis; at nescio quo iure: nam Officium feriale ferè totum omittebatur cum Officio beatæ Virginis in Choro, & Defunctorum, & quod magis dolebam, Feriarum Quadragesimalium, à quibus antiqui remouebant Festa Sanctorum, & à quibus in recognitione Breuiarij Octauæ sunt exclusæ; contra quos acerrimè inuehit *Radulphus Propos. 17.* ea potissimum ratione, quòd tollitur continuatio & recitatio totius Psalterij; & feriale Officium, inquit, Domini Officium est, quod à quocumque seruo non debet obrui. Videant Episcopi, ne pluralitate Festorum fiat iniuria Officio feriali Domini Dei nostri. Sed ecce, Deo dante, sublatus est abusus à sacra Rituum Congregatione Decreto edito die quo supra *Sect. 1. cap. 5. tit. 2. num. 9.* in hæc verba: *Veniit & prohibi-*



prohibuit celebrari per totam ciuitatem, vel diocesim, etiam de cuiusque Ordinarij licentia, Missam, vel Festum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, aut aliqua Reliquia; sed tantum in ipsis Sancti Ecclesia Titulari, seu ubi asseruatur insignis Reliquia, & non aliibi. Quæ verò sit insignis Reliquia, eadem sacra Congregatio declarauit statim, & nos descripsimus in primo Tomo par. 1. titulo 11. circa finem. addidit pœnam eadem sacra Congregatio ibidem, nimirum, quod aliter non fit satis muneri recitandi diuini Officij; & consequenter infligitur pœna non faciendi à Clero fructus suos beneficiorum, præter lethale peccatum quod committitur. Eadem sacra Congregatio declarauit, comprehendi in dicto Decreto Ecclesias Abbatiales, die 28. Septembris 1628.

6 De priuilegijs Festi, seu Officij Semiduplicis, agemus infra in pluribus locis.

## De Simplici. C A P. I V.

1 **D**Vrandus loco citato vsurpat hanc vocem *Simplex*. Antea vocabant Officiũ trium lectionum, *Microl. cap. 44. & Radulphus Propos. 17.*

2 Festa verò Simplicia, quibus in Calendario nihil apponitur, superant hodie centenarium numerum. de quibus agemus singillatim in Proprio Sanctorum.

3 Qui numerus centenarius quàm rectè congruat, accipe ex sancto Bernardo, & Radulpho. Numerositas Festiuitatum, inquit *Bernardus ad Canon. Lugdun.* ciues decet, non exules. *Radulphus* autem *Propos. cit.* addit, sumendam esse nimirum proportionem

à Christo, qui duodecim elegit Apostolos, quos posuit in superiori gradu; in inferiori verò posuit septuaginta duos Discipulos, hoc est, sexies duodecim. Vnus est Christus, cui datur Officium Dominicæ; Apostoli duodecim sunt: ergo & Festa Sanctorum solemnia in minori numero esse debent quàm numerus Dominicarum. Simplicia plura esse debent (cum quibus stat recitatio Psalterij) sicuti à Christo multiplicantur Discipuli. Duplicia Sanctorum (non loquor de Duplicibus Christi Festis) in Calendario Romano sunt numero sexaginta quatuor; Sanctorum Semiduplicia ad quadraginta: conuenit ergo, vt Simplicia excedant, vti fit, numerum centesimum.

4 Incipit à Vesperis quidem, sed ferialibus, & terminatur Officium Simplex ad Nonam, *Microl. cap. 44. & Radulph. Propos. 18.*

## De Dominica. C A P. V.

1 **D**E Officio Dominicæ *Microl. cap. 62.* hæc habet memoranda. In omni Dominica Ecclesiastico conuentui cum Officio Dominicæ satisfacimus, nisi aliqua multum celebris (*nota*) festiuitas occurrat. Addo ego, ratione Dominicæ quædam Officia festiuiora fieri, vt videre est in Festo Innocentium, & in Vigilia Natiuitatis Domini, quibus datur *alleluia, Te Deum*, respectiue cum consequentibus.

2 De Dominicis Aduentus, & à Septuagesima vsque ad Octauam Paschæ, quæ sunt maioris reuerentiæ & cultus, testatur *Radulph. Propos. 15.* eas numquam omitti. quod & hodie obseruamus.

3 Dominicæ infra Octauas Natiuitatis,



tatis, ex *Microl. cap. 37.* Epiphaniæ, ex eodem *cap. 41.* Ascensionis Domini, ex eodem *cap. 37.* & Corporis Christi, ex *Vrbano IV.* sunt priuilegiatæ, ita vt Officium non sit Dominicale, sed de Octaua, & de Domino tamen. Ratio est, ex *Microl.* vt Officium instanti celebritati concordet, hoc est, summæ celebritati Domini: nam in Dominicis alijs infra Octauas Sanctorum non est æquum, vt Officium Dominicale, quod Domini est, cedat Officio Sancti, cuius dies infra Octauam celebratur. Addi potest alia ratio pro Dominicis infra Octauas Natiuitatis, & Epiphaniæ; quia scilicet vt plurimum illa Natiuitatis celebratur extra diem Dominicum, & hæc Epiphaniæ celebratur aliquando in Sabbato. Extra verò diem ipsum Dominicum, non dicuntur congruè Psalmi de Dominica eidem diei præcisè assignati.

4 Quæritur: Cur à Natiuitate Domini vsque ad Epiphaniam inclusiuè dantur Dominicæ, in quibus nulla prorsus contingit fieri de iisdem commemoratio, vnde & in Calendarijs dicuntur Vacantes? Ratio dubitandi est, quia sicut occurrente Festo sancti Siluestri in Dominica, fit de Festo cum commemoratione Dominicæ; ita in Festo (puta sancti Ioannis) occurrente in Dominica poterat idem fieri. Verùm incongruum erat, si occurreret Festum Natiuitatis, vel Circumcisionis, vel Epiphaniæ in Dominica, quòd vnà simul cum Festo Domini fieret commemoratio eodem die de Festo eiusdem Domini, quod est Dominica: in gratiam autem Natiuitatis Domini & Circumcisionis fuit ordinatum, quòd nec in tribus Festis & Octauis diebus S. Stephani, S. Ioannis,

& SS. Innocentium haberetur ratio Dominicæ occurrentis; de qua tamen infra Octauam, tamquam de Dominica impedita, fit Officium post Festum S. Thomæ, vel in Festo S. Thomæ, hoc eodem translato in Feriam sequentem. & ita congruit Euangelium, quod legitur ratione Dominicæ, legi post natum Christum, non eodem veluti nascente per quamdam representationem. Eadem ratio militat in Vigilia Epiphaniæ, & in Epiphaniæ; in quibus si occurrit Dominica, ea vacat, neque habet Euangelium quòd tempori conueniat, neque consequenter commemorationem; imò neque ex textu Euangelico decerpi potuit, quòd legitur conuenienter in Dominicis occurrentibus intra hæc Festa, vt ritè consideranti patet (Euangelium autem est caput totius Officij, ait *Ruperr. lib. 1. cap. 37.*) & ea quæ leguntur in Dominica infra Octauam Natiuitatis, & in Vigilia Epiphaniæ, anticipatè leguntur, cum ea contigerint post Purificationem beatæ Virginis, vt patet in textu Euangelico S. Lucæ, & sancti Matthæi.

5 Dominicis post Epiphaniam additum est à Pio V. Officium Dominicæ sextæ. Antiquitus autem, si Dominica sexta occurreret, in ea repetebatur Officium Dominicæ præcedentis, teste *Duran. lib. 6. cap. 23.* quæ nunc supersunt, vel in Sabbato præcedenti, vel inter Dominicas post Pentecosten celebrantur, ita vt non omittatur Dominica vlla (vide cultum diei Dominicæ) quin de ea saltem commemoratio fiat, si minus Officium fieri queat. Explicat *Radulph. Propos. 15.* in hanc rem illud Psalm. 117. quod in Officio Primæ diei Dominicæ legitur: *Constituise diem solemnem in frequentationibus,*



nibus (vt legit Pfalter. Romanum, & Ambrosianum) id est, vt frequenter Dominicis diebus seruetur Officium Dominicale, nisi magna festiuitas occurrat: *vsque ad cornu Altaris*, hoc est, etiam Officium Missæ Dominicale obseruando. Hæc ille.

6 Dominicarum post Pentecosten Officia sunt vigintiquatuor: quod si Berno *de quibusdam ad Missam spect. cap. 6.* numeret tantummodò viginti tres Dominicas, idè est, quia quintam superaddit Aduentui, quod in idem recidit; vt nimirum præter Aduentum, & à Septuagesima ad Festum Trinitatis, Dominicæ per annum non excedant numerum trigessimum, vt ritè numeranti patet.

7 Quæ igitur non possunt celebrari ante Septuagesimam, transferuntur post 23. Dominicam Pentecostes, vt nulla vacet. Post Pentecosten verò ad summum erunt Dominicæ viginti octo. de quo numero Berno *loco citato* ait: Septenario quater ducto in hanc perfectionis summam excrefcit; & nulli dubium est, quin septem ad Spiritum sanctum, quatuor verò pertineant ad Euangelium: quia per septiformem gratiam Spiritus sancti (in Pentecoste effusam) prædicatum est Euangelium per quatuor mundi plagas. Hæc ille.

8 Vltimo loco semper ponitur quæ vocatur vigesima quarta, *Microl. c. 26.* vt vltimum, inquit, Officium in proxima tantùm hebdomada ante Aduentum Domini cantetur. est enim præparatio Domini Aduentus. Atque, vt norauit *Azorius lib. 10. cap. 15.* finiuntur Ecclesiastica Officia in commemoratione extremi futuri iudicij, sicut etiam similiter inchoantur, vt patet legenti Euangelia Dominicæ 24. &

Dominicæ primæ Aduentus. Addo, idè Dominicam 24. de iudicio futuro semper esse vltimam anni Ecclesiastici, qui incipit in Aduentu; quia Ecclesia in toto anni curriculo repræsentare studet Christi actiones à primo aduentu in carne, vsque ad secundum in fine mundi aduentum.

9 Si quæ supersit Dominica, ita vt propriè in die Dominico locum non habeat (quod accidere potest in Officio secundæ Dominicæ, de qua tamen habetur propria Rubrica *Sect. 6. cap. 8.* vel sequentium post Epiphaniam, & in Officio Dominicæ 23. post Pentecosten) tunc fit de Dominica exclusa in Sabbato præcedenti non impedito Festo nouem Lectionum, alioquin in alia immediatè præcedenti Feria, seu Festo Simplicis, in qua, seu quo Officium fiat de Feria, & legantur tres Lectiones de Homilia Dominicæ, & in Laudibus dicatur Antiphona ad *Benedictus*, & Oratio de Dominica carente proprio loco cum commemoratione Festi Simplicis. Et nota, præcedentem Feriam non esse ad libitum, sed Sabbato solùm impedito nouem Lectionum; & illud verbum *fiat*, quod habetur in Rubr. *de Domin. num. 4.* est coniungendum cum verbo *legantur*, ita vt ambo sint imperantia. Quòd si tota hebdomada sit impedita Officijs nouem Lectionum, etiam translatis (quod in postrema Breuiarij recognitione additum est) tunc in Sabbato legatur nona Lectio de Homilia illius Dominicæ, & de eadem fiat commemoratio in Laudibus tantùm, cum Antiphona, & Oratione propria. Hæc in Rubricis *de Dominicis tit. 4. num. 4. & 5.* Ratio est, ne Officium vllius Dominicæ omitatur; tum ne admirationi populo sit, quod

D

quod



quod ante Clementem VIII. fiebat, dum, translato Semiduplici Festo, fiebat Officium de Dominica extra suum diem, & propriam sedem, quæ ob anni angustiam deerat; quod populum facile latet; qui tamen erga Festum de Sancto Semiduplex deuotius moueri solet.

10 Ex quo etiam patet, quod, impedito Sabbato vt supra, aut Feria sexta, aut quinta à Festo Simplici, non erit anticipandum Officium prædictarum Dominicarum Feria quarta aut tertia, in qua nullum fortasse occurrit Festum: nam neque Simplex Officium B. Virginis in Sabbato, neque Festum Simplex in eodem occurrens impedit, quò minus in Sabbato fiat Officium de Dominica quæ supersit, sed tantùm Officium nouem Lectionum impedit Officium Dominicæ; & curandum est, quoad eius fieri potest, vt propius ad Sabbatum fiat de ea Dominica Officium.

11 Excellunt hæ Dominicæ, quibus cedunt etiam Patroni, neque vquam omittuntur, Primæ classis idcirco cognominatæ; nimirum Prima Aduentus & Quadragesimæ, Dominicæ Passionis, Palmarum, in Albis, in quibus decet populum moueri ad mysteria maiora in iisdem celebrata Redemptionis nostræ tum Officio, tum colore paramentorum. Aliæ minores, idè dictæ Secundæ classis, cedunt quidem Festis Patroni loci, Tituli Ecclesiæ, & eiusdem Dedicationis, quæ ad afficiendum populum maximè valent; alijs autem minimè cedunt Sanctorum Festis, nimirum secunda, tertia, quarta Aduentus & Quadragesimæ, Dominicæ Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ; quarum ritum in Proprio de Tempore inuestigabimus.

12 Dominica prima mensium habet rationem potissimam in Breuiario, quia in eo solent poni initia sanctorum Librorum cum suis Responsorijs. Ea igitur prima esse dicitur, que venit in Calendis mensis, vel est proximior (siue ante, siue post) ipsis Calendis; quòd nisi fieret in mense Nouembri, deficeret tempus necessarium ad legendos sacros Libros eidem mensi assignatos, adueniente Dominica prima Aduentus ante finem Nouembris, vt notatum est in Breuiarijs M. S. antiquissimis.

13 Dominica verò prima Aduentus est ea, quæ proximior est Festo S. Andrea, vel quæ venerit in ipso Festo, *Dur. lib. 6. cap. 2.* seu, vt cum Radulpho loquar *Propos. 16.* post crastinum sanctæ Catharinæ: neque enim ante crastinum, neque in crastino eiusdem Virginis contingit initium Aduentus. De Officio Dominicali dicemus, cum de Matutino, & alijs.

#### De Feria. CAP. VI.

1 **F**eria à fando, inquit *Rabanus 2. de Instit. Cler. cap. 46.* quæ vox apud Ecclesiasticos antiquior est Siluestro, *ex eodem ibid.* de ea apud *Tertull. aduers. Psychicos cap. 8. & cap. 14.* vbi ait: Nobis omnis dies, etiam vulgata, consecratione celebratur. Cum enim horrerent fideles nominare dies à dijs gentium, vel Iudaico more à Sabbato, primam, secundam Sabbati, &c. idè ac si Dominica prima Feria diceretur, appellauere reliquos dies Feriam secundam, tertiam, &c. retento tantùm nomine Sabbati. Vacante itaque die ab alijs Christi vel Sanctorum Festis, fit de Feria; quod Officium Domini est; vt quilibet



quisque intelligat, se Deo deditum vni Deo vacare debere. Appellabant antiqui Officium Feriale, trium Responsiorum Officium.

2 Feriarum genus duplex; maius alterum dicitur, eò quòd de Feria maiori semper fit in Officio saltem commemoratio, nempe de Feria qualibet Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, & secunda Rogationum: quæ distinctio maiorum & minorum in recognitione Breuiarij Clementina inuenta est, occasione Tabellarum de occurrentia & concurrentia in fine Rubricarum editarum, ad faciliorem Tabellarum vsum, Auctore huius Operis ipsas Tabellas reformante iussu Maiorum.

3 Occurrit autem per annum Officium feriale ferè quadragies, nisi occupentur dies à Festis mobilibus, seu Dominicis, vel diebus infra Octauas particularium Ecclesiarum, seu à sancta Maria in Sabbato, seu à Festis locorum proprijs. Vide ergo, an expediat minui adhuc hunc Feriarum numerum.

4 De feriali Officio, & partibus eius, agemus infra, cùm de singulis partibus Officij.

De Vigilia. CAP. VII.

1 **Q**uædam Vigiliæ cum ieiunio celebrantur, & pleræque; paucissimæ sine ieiunio, videlicet Vigilia Epiphaniæ & Ascensionis Domini; de quarum ieiunio lex nulla est, ob lætitiã Natalis Domini, & eiusdem Resurrectionis. Quam ob causam, seu causas, neque ieiunatur pridie S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ, neque sanctorum Philippi & Iacobi, tempore Paschali, ex Innoc. III. de Obseru. ieiun. tit. 46.

cap. 2. Vigiliæ cum ieiunio in Breuiario Romano sunt quatuordecim.

2 Vigilia occurrens in Dominica transfertur in Sabbatum præcedens; exceptis Vigilijs Natiuitatis Domini & Epiphaniæ, de quibus fit Officium eodie quo occurrunt, Rudolph. Propos. 19. Primò quidem ne ieiunemus in Dominica, quod prohibetur Dist. 76. cap. Vtinam. & in Const. Apost. lib. 5. cap. 21. Deinde, vt cum ieiunio bona sit oratio & Officium ad preparationem Festi. Ieiunium ab Hebræis fieri solitum pridie Sabbati, numquam in Sabbato, testatur Moyses Ægyptius de Temp. cap. de Sabbato, & cap. de Ieiunio. Vigiliæ verò Natiuitatis Officium, vt festiuum, separatur eo casu à ieiunio quod fit in Sabbato, sicut etiam Vigiliæ Epiphaniæ Officium festiuum est, non feriale, & ieiunio caret.

3 Vigilia occurrens in Festo primæ classis in Officio nullum habet locum, neque etiam commemoracionem, ne solemnitas imminuatur: imò expediret, auctoritate Maiorum, eo casu anticipari ieiunium ante illud Festum primæ classis, eo modo quo testatur Nauar. in Man. cap. 21. nu. 11. Leonem X. statuisse, vt eo anno, quo Vigilia S. Ioannis Baptistæ incidit in Festum Corporis Christi, pridie eiusdem Festi ieiunetur, quarta scilicet Feria. Caietanus etiam docet in v. Ieiunium. cum Tabiena, & alijs, posse Episcopum in Festo solemnè Patroni loci, si in eo occurrat Vigilia, transferre ieiunium in pridianum diem. Aliubi ob Festum S. Christinæ Patronæ ieiunatur pridie eius Festi, ratione Vigiliæ S. Iacobi Apostoli. Officium autem Vigiliæ in his casibus non est anticipandum, separari namque possunt Officium Vigiliæ & ieiunium eiusdem.



quod patet in Vigilia Natiuitatis Domini, cum occurrit in Dominica.

4 Vigilia occurrens in Ferijs maioribus omittitur in Officio, ita vt nec de ea commemoratio fiat: quia Feriæ maiores sunt Feriæ Domini, & Vigiliæ sunt Feriæ seruorum Domini, quæ vti minores cedere debent, cum de vtrisque non possit Officium fieri, neque pro commemoratione alterius legi Homilia congruenter post Homiliam alterius in Officio trium Lectio- num; quæ eo casu sunt, vel de Scriptura ordinaria, vt in Aduentu; vel de Homilia, vt in Quadragesima.

5 Officio Vigiliæ, quod totum erat de Feria, addidit Pius V. Homiliam in Euangelium quod in Missa legebatur, *Azor. lib. 10. cap. 16. quest. 5.*

6 De partibus Officij Vigiliæ dicemus infra, & terminatur ad Nonam.

De Octaua. CAP. VIII.

**C**HRISTO Domino constitutæ sunt Octauæ quinque, Natiuitatis, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, & Corporis Christi; Spiritui sancto, Pentecostes; beatæ Virgini duæ, Natiuitatis, & Assumptionis; Natiuitati S. Ioannis Baptistæ, Martyrio SS. Apostolorum Petri & Pauli, Festo Omnium Sanctorum, sanctis Stephano, Ioanni Euangelistæ, Innocentibus, & Laurentio, Dedicatoni propriæ Ecclesiæ, Patrono principali loci, & Titulari, in eorum principali Festo. De quarum origine vide quæ scripsimus in *Prefatione ad Octauarium Romanum*, vbi & causas explicauimus Octauarum. De Patrono loci Microl. subobscurè tradit *cap. 43.* quare non excedunt numerum septemdecim. Consueuerunt cum Octauis

solemniter celebrari Festa Sanctorum apud quasdam Ecclesias, Congregationes & Religiones, quæ in Rubr. *de Octauis num. 1.* non abrogantur; sed post editum à Pio V. Breuiarium nulla potest induci Octaua vltra prædictas, sine Sedis Apostolicæ auctoritate. Ex quo qui addidit recentior, fieri Festum cum Octauatum Canonizationis tum Beatificationis Sanctorum, apertè fallitur, si loquatur, præclusa licentiâ sanctæ Sedis Apostolicæ.

2 Inter has Octauas est differentia, quæ reuocari potest ad quatuor gradus. In primo gradu sunt Octauæ Paschatis & Pentecostes, in quibus non fit de Festo aliquo, nec etiam de Patrono loci, Titulove, seu Dedicatone Ecclesiæ. In secundo gradu Octaua Epiphaniæ admittit tantum Festum de Patrono, vel Titulari Ecclesiæ, & Dedicatoni propriæ Ecclesiæ; non tamen in die Octaua, in qua celebratur Baptismus Christi; & dicitur à *Durand. lib. 6. cap. 17.* Octaua suppletionis, quia eo die supplemus, quod in Festo Epiphaniæ recolimus minùs apertè, id est Baptismus Christi, cui cedere debet Patroni Festum, vt serui Domino. In tertio gradu Octaua Corporis Christi admittit tantum Festa Duplicitia, non tamen translata, vt decretum est in recognitione postrema Breuiarij; nisi translata sint altioris ordinis, vt de Festo S. Ioannis Baptistæ dicemus. Non admittit Semiduplicitia, ex Decreto Ioannis XXII. quod habetur in Breuiar. M. S. Biblioth. S. Isidori de Vrbe. In quarto gradu Octauæ reliquæ Natiuitatis Domini, Ascensionis, & aliorum Sanctorum admittunt quæcumque Festa, etiam Semiduplicitia. Neque mireris, quod in Octaua Natiui-



Natiuitatis admittantur Semiduplicia, quia schola Natiuitatis Christi est officina humilitatis, ex *S. Augustino*; Ascensionis item, respectu Ecclesie militantis, est Octaua mixta mœrore, ob discessum Christi.

3 Rubrica de *Octauis num. 3.* addit, etiam translata. quod verbum verificatur in Duplicibus, quia verè celebrantur quocumque die infra dictas Octauas; at in Semiduplicibus non videtur verificari: nam Festum sancti Leonis 28. Iunij, si occurrit in Dominica, transfertur post Octauam Apostolorum, vt dicitur in propria Rubrica; ergo idem fiet de alijs Semiduplicibus. Verùm Rubrica satis verificatur in duobus casibus; Primò, quando Semiduplex occurrit in Dominica; Secundò, quando in Festo Ascensionis Domini: in quibus casibus transfertur Semiduplex in diem proximè sequentem, si non est impedita; & sic infra Octauam fit de Semiduplici translato. In Ecclesijs particularibus contingit sæpiùs Semiduplex occurrere in Festo maiori, quod habet Octauam; & de eo fit in secunda die infra Octauam. Rubrica verò hæc non loquitur de Semiduplicibus occurrentibus ante Octauam, quæ sine dubio transferri debent post Octauam; sed de occurrentibus in Festo, seu in Dominica infra Octauam, & de translatione in diem proximè sequentem, non impeditum alio Festo. Hæc dixi iuxta sensum Rubricæ antiquæ: sed hodie cessat secundus casus de Festo Ascensionis, seu maiore habente Octauam, in recognitione postrema Breuiarij. *Vide infra cap. 10. num. 4.*

4 Adhuc accidit alia differentia inter Octauas trium graduum poste-

riorum, quòd occurrente Festo in iisdem admissò, vt supra, semper tamen de Octaua Epiphaniæ, Corporis Christi & Natiuitatis eiusdè fit commemoratio, ob earumdem dignitatem. Infra alias Octauas, Ascensionis, & aliorum Festorum, occurrentibus Festis maioribus, accidit, vt neque de ijs Octauis fiat commemoratio, vt dicitur, cùm de Commemorationibus: fortasse, quia tria illa Festa nostra sunt; Festum verò Ascensionis Angelorum potiùs quàm nostrum. Aliorum denique Sanctorum, quia sunt Festa non æqualia tribus primis, ideò quandoque nulla fit commemoratio.

5 Omnes dies Octauæ pro vna festiuitate computantur, ait *Radulph. Propos. 25.* qui etiam *Propos. 19.* appellat Octauam prorogationem Festi. ex quo sequitur, quòd eò nobilior est Octaua, quò minus interupta est à Festis aliorum.

6 At videnam maior Octauæ dignitas attendi debet, præsertim si duæ occurrant simul celebrandæ? Certè penes classem Festorum; nam prima classis dignior est secunda: in eadem verò classe attende personas hoc ordine, Christum, B. Virginem, Angelos, S. Ioannem Baptistam, Apostolos, & alios, iuxta ordinem Litaniarum, & Rubricam de *Concurrentia Officij n. 2.* & ceteris paribus dignior est ea Octaua quam celebrat vniuersalis Ecclesia.

7 Dubitari potest de Dedicacionis Octaua, an sit maior quàm Octaua Patroni loci, seu Tituli Ecclesie. *S. Thom. lect. 5. in cap. 10. 10.* docet, maius esse Festum Dedicacionis Ecclesie quàm alicuius Sancti; quia in illo recoluntur beneficia toti Ecclesie collata, quæ superant beneficia cuius Sancto donata, quæ in eiusdem Festo cele-



celebrantur: ergo erit Octaua Dedicacionis Ecclesie dignior quam Octaua Patroni loci: & eadem ratione dignior erit Octaua Assumptionis beatæ Virginis quam Octaua Dedicacionis, quia maiora beneficia contulit Deus vni Deiparæ in eius Assumptione, quam contulerit toti militanti Ecclesie; cum præsertim Theologi doceant, collectiue in Deipara Virgine esse omnia gratiæ & gloriæ dona, quæ Angelis & hominibus singillatim distributa fuerunt. Confirmatur hæc doctrina ex Rubr. Breuiarij tit. *de Duplici num. 1.* vbi prius recensetur Dedicatio propriæ Ecclesie quam Patronus loci, seu Titularis Ecclesie; & tit. *de Octauis nu. 1.* vbi prius nominatur Dedicacionis Octaua quam principalis Patroni, veluti dignior & nobilior, ceteris paribus. Et in fine Breuiarij additæ sunt Lectiões propriæ pro tota Octaua Dedicacionis, non item pro alijs omnibus Patronis locorum, quibus postremò prouisum est cum Octauario Romano à nobis edito, & à sacra Rituum Congregatione approbato.

8 In postrema recognitione Breuiarij actum est de excludendis Octauis ab Aduetu, sicuti à Quadragesima; sed illud saltem congruere visum est, eas excludi à die 17. Decembris vsque ad Epiphaniam: & ante Natiuitatem quidem ea ratione, quam numero sequenti dicemus; post Natiuitatem verò, quia dies omnes & singuli proprium Officiū habent nullo modo omittendum. Fieri verò de Octaua, quæ non habetur in Breuiario, per solam commemorationem, visum est modicum quid; quod congruentius omitti potest in gratiam infantie Christi, & Octauarum non sine mysterio comitantium Natiuitatem Christi, ex S. Bern.

9 Accidit etiam, inchoatas non compleri Octauas Festorum de Sanctis, & præsertim in tribus casibus. Primus est, quando aduenit dies 17. Decembris, in qua ponuntur Antiphonæ propriæ; quod in postrema Breuiarij recognitione meritò decretum est, ne omittantur quotannis Antiphonæ priuilegiatæ, quas recitabant antiqui in Festis occurrentibus, additis ideò Laudibus ferialibus. Quare, si occurrat dies Octaua Festi habentis Octauam in die 17. Decembris, in pridianis Vesperis nihil fiat, neque commemoratio de Octaua, cum in sequenti die nihil item sit de ea faciendum: nam argumento à simili mox infra num. 13. probabimus, non conuenire, vt habeat in primis Vesperis aliquid illud Festum, seu Officiū illud, quòd nihil omnino debet habere in Laudibus & Vesperis secundis. Alter casus est, quando aduenit FERIA quarta Cinerum, pridie cuius eodem modo, quo nunc dictum est, abrumpenda est Octaua Festi habentis Octauam. Tertius est, adueniente Vigilia Pentecostes, quæ loco citato eiusdem est priuilegij ad Octauas mutilandas cum prædictis Ferijs. Certè ante Microl. c. 48. non celebrabantur Festa in Quadragesima, & hodie paucissima; ergo conuenit, vt abstineamus in Quadragesima à prorogatione Festorum, hoc est Octaua. Natalis Domini, sicuti Pascha, debet habere quasi Octauam ante & post, licet non æqualem: & conuenit etiam in Vigilia Pentecostes cessare Octauam, quæ omne Festum, etiam Patroni, excludit.

10 Dierum infra Octauam Officiū est Semiduplex, exceptis primis duobus post Pascha & Pentecosten; quorum Officiū Duplex est. Dici verò



verò Octauæ duo sunt priuilegia: alterum est, quòd numquam transferatur; alterum est, quòd Duplici ritu celebratur; quia est repetitio Festi, quod à *Radulph. Propos. 19.* in maioribus Octauis significatur. *Microlog. cap. 41.* scribit, quòd diei infra Octauam minorem, id est Sanctorum, Officium erat feriale trium lectionum. & c. 44. quòd neque mentio per medios dies agebatur, quia extremi tantum dies colebantur: nihilominus hodiernum ritum in *Breuiarijs M. S. ante annos 300.* ego reperi, licet *Radulphus Propos. 19.* eiusdem ætatis dicat eadem quæ *Micrologus.* Per idem (puto) tempus mutatus fuit ritus in hodiernum, vt esset communis omnibus Octauis.

11 Festum habens Octauam si transferatur post octo dies à die Festi, non celebratur eo anno cum Octaua. Non enim numeratur Octaua à Festo, sed à die quo ille Sanctus obiit, vel obiisse creditur, cui fit Festum, nisi aliud ex priuilegio concedatur, de *Translatione Fest. num. 1.*

12 Dies Octaua, quia non transfertur, excludit, & transferri facit Festum Duplex in ea occurrens per annum, siue sit maius siue minus, vt dicitur de *Translatione Festorum num. 2.* & in Tabella de Occurrentia, in qua Duplex per annum comprehendit maius & minus: qua de re dubitarunt aliqui, eò quia, inquit, in concursu Duplicis maioris cum die Octaua, illud habet integras Vesperas; sed est ratio dispar in occurso, quæ communis est Duplici maiori & minori per annum, ne scilicet omittatur Officium diei Octauæ in proprio die. cedit autem solemnibus Festis primæ & secundæ classis, ita vt de die Octaua non nisi fiat commemoratio; vti quan-

do in die Octaua Corporis Christi occurrit Festum S. Ioannis Baptista: de quo fit Officium cum commemoratione Octauæ, ex Decreto Ioannis XXII. supra citato, in quo meminit non modò Festi sancti Ioannis, sed etiam alterius Festi ex maioribus.

Excipe Octauam diem Natiuitatis, quæ est secundæ classis, & Epiphaniæ, quæ est priuilegiata, vt diximus, ob Baptismum Christi. hæc namque excludunt alia Festa. Cedit item dies Octaua Dominicis quæ excludunt Festa Duplicia per annum, puta Septuagesimæ, Sexagesimæ, & similibus, vt dicitur de *Translatione Festorum numero 1.* in quibus fit tantum commemoratio de die Octaua.

13 Sed quid agendum erit in primis Vesperis communibus diei Octauæ, & Dominicæ priuilegiatæ? Recitabis Vesperas cum Psalmis Sabbati, à Capitulo de Dominica priuilegiata, & in fine addes commemorationem diei Octauæ, vt in primis Vesperis Festi. ita decreuit, me petente, sacra Rituum Congregatio die 9. *Novembris 1622.* & ratio desumitur à simili, ex Rubr. de *Concurrentia num. 10.* vbi, cum ageretur de Simplici Festo occurrente in Feria quarta Cinerum, in qua de Festo fit tantum commemoratio, eadem tantum commemoratio Festi decernitur in primis eiusdem Vesperis: *Quia, inquit, cum in sequenti die Festum non habeat Officium, nec etiam conuenit habere primas Vesperas in precedenti die.* Voluissent alij, primas Vesperas diei Octauæ integras ritu Duplici recitari: sed absurdum visum est inchoare cum omni solemnitate diem Octauam, quæ sequenti die Officium non habet. Alij, dimidiatas Vesperas vsque ad Capitulum. ritu Semiduplici



plici de Octaua, Capitulum deinde de Dominica; at hoc modo non erant primæ Vesperæ de die Octaua, vt patet, cum ritu Semiduplici; neque erant secundæ Vesperæ de die infra Octauam, quæ terminatur in Nona Sabbati. Et in Psalmo quinto erat difficultas, an dicendus ille, qui in primis aut in secundis Vesperis Festi: & pro commemoratione diei Octauæ Antiphona ad *Magnificat*, vt in primis Vesperis Festi, incongruè dicebatur, ratione diei infra Octauam. Maluissent alij, abrumpi Octauam in Sabbato ad Vesperas, & nihil de ea fieri ampliùs, vt supra diximus *num. 8.* sed visa est ratio longè dispar in Dominicis priuilegiatis extra Quadragesimam, Natalitium tempus, & Pentecostes. Quare sola commemoratione contèti de die Octaua, tam in primis eiusdem Vesperis quàm in Laudibus & secundis Vesperis, omisitq; precibus ad Primam & Completorium, & Suffragijs communibus, decreuerunt Eminentissimi Patres & sapientissimi, vt prædiximus, nempe in gratiam diei Octauæ, & Dominicæ occurrentis priuilegiatæ: quibus & obsequendum erit.

14 In secundis etiam Vesperis diei Octauæ occurrentis in Dominica priuilegiata, eadem Dominica conseruat sedem sibi acquisitam, ita vt de die Octaua fiat tantùm commemoratio, vt in secundis Vesperis Festi. Quòd si Dominica ipsa concurrat cum sequenti Festo duplici, adhuc commemoratio diei Octauæ post Dominicæ commemorationem fiet; non autem, si concurrat cum Semiduplici: quia tunc Vesperæ erunt de Dominica eum commemoratione diei Octauæ, vt in secundis Vesperis Festi; & deinde Semiduplicis, vt in primis eiusdem Vesperis:

quia in pari gradu commemorationis nobilior est diei Octauæ quàm Festi Semiduplicis commemoratio.

15 Ceterùm ordinariè dies Octaua si concurrat cum alia die Octaua, à Capitulo fit de sequenti cum commemoratione præcedentis, excepta Octaua Corporis Christi concurrente cum Octaua sancti Ioannis Baptistæ, de qua fit tantùm commemoratio; & quando in Breuiario aliter notatur, vt in Octauis SS. Stephani & Ioannis Euangelistæ, &c. in *Rubric. de Concurrentia Officij num. 7.*

16 Dies eadem Octaua si concurrat cum sequenti Duplici minori etiam translato, à Capitulo fit de sequenti cum commemoratione Octauæ; si cum maiori, fit totum de sequenti, commemoratio de præcedenti, vt in die Octaua S. Ioannis Baptistæ. Excipe dies Octauæ Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, & Corporis Christi, in quibus, ob earum dignitatem, secundæ Vesperæ, etiam in concursu cum Duplici maiori per annum, & multò magis primæ Vesperæ Octauarum Ascensionis & Corporis Christi, vt in postrema Breuiarij recognitione decretum est, debent esse integræ. Et quidem de secundis Vesperis Octauæ Corporis Christi est lex conuenientissima, noua tamen post Ioannem XXII. qui in Decreto supra citato iusserat fieri à Capitulo de sequenti: eadem autem est ratio in Octaua Ascensionis.

17 Si concurrat cum Festo primæ classis, in huius primis Vesperis nulla fit de die Octaua commemoratio, vt declaratum est in postrema recognitione *de Commemorat. tit. 9. num. 4.* Si verò concurrat cum Festo secundæ classis, etiam translato, vt est Annuntiatio beatæ Virginis, vel sancti Marci Festum



Festum post Dominicam in Albis; totum Officium erit de sequenti cum commemoratione precedentis diei Octauæ, vt aperte dicitur de *Concurrentia num. 7.* & est Rubrica generalis modò in postrema recognitione Breuiarij, additis verbis ijs, in *secundo ordine*; vt vtrique ordini Festorum sit prouisum.

18 Accidit alius concursus Festi Duplicis vel Semiduplicis cum die infra Octauam: & Duplex quidem totum habet Vesperarum Officium cum commemoratione diei infra Octauam; Semiduplex autem regulariter vsque ad Capitulum, quod erit de die infra Octauam, in *Rubrica de Concurr. num. 34.* sed fallit illud primum de Duplici in duobus casibus, hoc est, quãdo Duplex est primæ classis, quia tunc nulla fit de sequenti die infra Octauam commemoratio; & quando Duplex est secundæ classis, sed in die sequenti non fit Officium de die infra Octauam: tunc enim in secundis Vesperis Festi Duplicis nulla fit commemoratio diei sequentis infra Octauam. Alterum item de Semiduplici fallit in secundis Vesperis SS. Ioannis & Pauli, quæ sunt integræ cum commemoratione tantum die infra Octauam S. Ioannis, ita in *Rubric. de Concurr. num. 3. & 4.* causam dabimus in Proprio de Tempore.

19 Dies etiam infra Octauam cedit Dominicæ præcedenti, in cuius secundis Vesperis non nisi fit commemoratio de die sequenti infra Octauam, *loco citato num. 5.*

20 Eadem dies infra Octauam cedit Festo Duplici, in cuius secundis Vesperis sola gaudet commemoratione; quæ etiam deperditur, si Duplex sequens sit primæ vel secundæ classis, *ibidem num. 4.*

21 Non cedit sequenti Dominicæ, vel Semiduplici, nisi vsque ad Capitulum, quod erit de Dominica, vel de Semiduplici; multoquæ minus cedit Simplici, de quo fit tantum commemoratio in secundis Vesperis diei infra Octauam, *ibidem num. 6.*

22 Quæres: An detur casus, quo dies Octaua, quæ est Duplex, cedat in concursu Festo Semiduplici. Respondeo, Posito Decreto sacre Congregationis, de quo supra *num. 13.* sequitur aperte, quod si occurrat Festum Semiduplex in Sabbato ante Dominicam priuilegiatam, quæ est simul dies Octaua Festi habentis Octauam; eo casu in Vesperis Sabbati, Antiphonæ & Psalmi erunt de Festo Semiduplici, Capitulum de Dominica priuilegiata, commemoratio primum de Semiduplici, quod habet dimidium Vesperarum, & deinde diei Octauæ, quæ in toto die sequenti Dominico nihil habet nisi meram commemorationem.

23 Volunt aliqui diem Octauam principalis Patroni loci posse dici Festum Duplex maius per annum, eo fine, vt habeat integras Vesperas; sed defendi non potest, tum quia de *Concurr. Officij num. 7.* expressè iubetur, Vesperas diuidi in concursu diei Octauæ cum Duplici Festo; tum quia dies Octaua Omnium Sanctorum non habet secundas Vesperas integras; tum quia est priuilegium Octauarum Christi Domini; tum quia Rubricæ sensus in *loco citato num. 7.* est de die Octaua Patroni, seu Tituli Ecclesiæ, quibus extra Breuiarium conceditur Octaua. Neque dicas, in Octaua sancti Ioannis Euangelistæ secundæ Vesperæ sunt integræ de eodem; quia singularis est casus in concursu cum Octaua Innocentium longè inferioris ordinis.

E

Optaf-



Oprassel & ego cum alijs, diem Octauam Festi B. Virginis habentis Octauam, esse Duplex maius, sicuti sunt eiusdem minora Festa per annum: at eadem ferè ratio militaret in Angelis & Apostolis, vt patet. Rubrica verò non distinguit inter diem Octauam, & diem Octauam, nisi in Festis Domini: vnde neque nos distinguere debemus, vrgetque rursus exemplum diei Octauæ Omnium Sanctorum, quod est præcipuè B. Virginis, ex Martyrologio, & non habet integras Vesperas. Octaua quoque S. Ioannis Euangelistæ minus vrget, quæ in Rubricis excepta fuit, *de Concurrentia Officij num. 7.* ijs verbis: *Et quando aliter in proprijs locis notatur: nulla igitur alia dies Octaua Sanctorum est Duplex maius.*

24 Denique dies Octaua Corporis Christi licet sit dignissima, si tamen ea die occurrat Festum Natiuitatis S. Ioannis, vel Apostolorum Petri & Pauli, sola gaudet commemoratione, ob singularia merita sanctorum Principum Ecclesiæ Christianæ toto orbe venerandorum; & eadem ratione fit Officium de Patrono loci, si occurrat in dicta die Octauæ Corporis Christi, cum eiusdem commemoratione tantum, quia est primæ classis in loco vbi est Patronus: idem dico de Titulo Ecclesiæ; & multò magis affirmarem de Dedicatione Ecclesiæ, si in eam diem Octauam incideret, ob rationem à foriori sumptam à sancto Thoma, de qua supra *hoc cap. num. 7.* Festa verò secundæ classis cedere debent prædictæ diei Octauæ; sicut à tota Octaua arcentur Semiduplicia Festa. & de facto cedit commemoratio sancti Pauli extra propriam Ecclesiam, vt in propria Rubrica dicitur; quamquam non est pro-

priè secundæ classis, vt ibi dicemus.

25 De Lectionibus infra Octauas infra agemus; de Precibus, Suffragijs, in proprijs Titulis & Capitibus, *Sectione quinta.*

*De Concurrentia Officij.*

C A P. I X.

1 **D**Antur in Officio diuino Concurrentia & Occurrentia, quæ habent pro diuersa ratione proprias leges. Nam Concurrentia est duorum pridie & postridie celebrandorum, & attenditur ordinariè in secundis Vesperis vnus, & in primis alterius Festi; Occurrentia verò est duorum in eodem die.

2 Sequar autem ordinem Titulorum præcedentium Capitulum; & primò de Duplici: nam Festum Duplex concurrere potest cum alio Duplici, vel die Octaua Festi habentis Octauam. si ergo sunt æqualia, regulariter à Capitulo fit de sequenti cum commemoratione præcedentis. Dixi, *si sint æqualia*; quia si Duplex maius sit, totum fit de Duplici cum commemoratione diei Octauæ, vt in secundis Vesperis Exaltationis S. Crucis. Dixi *regulariter*, quia in tribus Festis Natiuitatis Domini fallit hæc regula, vt eo loco patet. est autem diuisio Vesperarum à Capitulo in partes ferè æquales. Si sunt inæqualia, illud Festum, quod maius est, habet integras Vesperas cum commemoratione minoris, quando & hæc fieri debeat, vt dicemus *ex Microlog. c. 35.* Quò enim magis vel minùs Festum habet de Vesperis, & præsertim de primis Vesperis, quæ *ex Amalario* sunt nobiliores secundis, eò etiam solemne magis & minùs est Festum.

3 Inæqualitas attenditur ex hoc ordine:



dine: Festa Domini præferuntur omnibus alijs, & habent utraque Vesperas integras, Festa beatæ Mariæ Festis aliorum Sanctorum, Festa Angelorum & Apostolorum ceteris alijs; si alijs, ergo etiam Euangelistis (quod bene nota;) Festa Sanctorum, qui in proprijs locis vel Ecclesijs solemniter celebrantur, alijs in Calendario descriptis. Hinc appellantur prædicta Festa vel primæ, vel secundæ classis, vel Duplicita maiora, quæ in concursu cum minoribus habent integras primas & secundas Vesperas. Errant ergo ij, qui in Ecclesia B. Rochi propria de eodem, vt Patrono, recitant primas Vesperas cum commemoratione Assumptionis B. Virginis, cui debentur integræ secundæ Vesperæ ex hac Rubrica: nam vtrumque Festum est quidem primæ classis, sed dignior beata Virgo B. Rocho. Neque valet exemplum quo se tuentur, quia in primis Vesperis Commemorationis S. Pauli in propria Ecclesia Vesperæ sunt integræ de sancto Paulo; tum quia concursus est inter æquales; tum quia est specialis Rubrica, cui alluditur in Rubrica generali de Concurrentia Officij num. 2. ijs verbis: *Nisi, inquit, aliter in proprijs locis annotetur.* Quod autem dictum est, Festa solemnia locorum præferri alijs in Calendario descriptis, intellige de concursu, & vt diximus supra Sect. 2. cap. 2. numero 29. pagina 17. ceteris paribus, habita ratione personarum iuxta prædictos gradus, & maioritatis ritus, de qua ibidem Rubricæ loquantur.

4 Duplex item concurrere potest cum Semiduplici, Dominica, die infra Octauam, Simplici, & Officio sanctæ Mariæ in Sabbato; & tunc omnia in secundis Vesperis de Duplici erunt

cum commemoratione illorum, nisi Duplex esset primæ classis, quod admitteret commemorationem tamen de Semiduplici, & de Dominica, non de alijs prædictis; vel secundæ classis esset, quod admitteret præterea commemorationem de die infra Octauam, si in sequenti fieri debet Officium, & de Simplici, & de S. Maria in Sabbato. cum Feria verò non concurrat, neque cum Vigilia.

5 Semiduplex potest concurrere cum Duplici, & omnia de Duplici fiunt cum commemoratione Semiduplicis, nisi Duplex sequens fuerit ex ijs solemnibus, quæ excludunt etiam commemorationem Semiduplicis. Item potest concurrere cum Semiduplici, Dominica, die infra Octauam; & tunc diuiduntur Vesperæ à Capitulo de sequenti. Item potest Semiduplex concurrere cum Simplici, & sancta Maria in Sabbato, & eo casu omnia de Semiduplici cum commemoratione sequentis.

6 Dominica concursum habere potest cum sequenti Duplici, & omnia erunt de Duplici; & commemoratio de Dominica, nisi sit Duplex primæ vel secundæ classis, quod excludit Dominicæ commemorationem. Item cum Semiduplici potest concurrere, vel cum Festo Simplici, & in his casibus omnia de Dominica cum commemoratione sequentis. quod habet etiam Radulph. Propos. 15.

7 Quæres, cur Dominica habeat integras secundas Vesperas, dum concurrat cum Semiduplici sequenti, & non habeat integras primas Vesperas concurrans cum Semiduplici præcedenti, vt num. 5. diximus; & eo maior est ratio dubitandi, quia diximus, nobiliores esse primas Vesperas



secundis. Dicerem, vel ob concurrere populi ad secundas Vesperas, quas amat, Dominicales, non ad primas; vel fortè, quia Psalmi Sabbatini minus habent festiuitatis, plus ferialitatis; & incongrui visi sunt inter Festum Semiduplex, & Festum Dominicæ: quo factum est, vt Psalmi essent Festiui de Semiduplici, & Capitulum de Dominica.

8 Simplex non potest concurrere cum sequenti, quia non habet secundas Vesperas. Si sequatur aliud Simplex, de eo fit à Capitulo post Psalmos de Feria, sine commemoratione præcedentis. Si sequatur Officiū nouem Lectionum, Vesperæ integræ erunt de hoc sine vlla similiter commemoratione Simplicis præcedentis. Si nullum Festum sequatur, Officiū erit de Feria totum.

9 Feria item non concurrat cum sequenti, quia incipit & desinit, vbi desinit & incipit quodcumque aliud Officiū. Si diuersæ sint Feriæ proximæ, vnaquæque suo die, non vltra diem, locum habet, vt fusiùs dicitur in Rubric. de Concurrent. num. 9. De Octauæ concursu actiuo & passiuo cum alijs in hoc capite omisimus dicere, cum plenè Cap. 8. iam dixerimus à num. 15.

*De Occurrentia Officij diuini, seu de Translatione Festorum.*

C A P. X.

**D**uplex Festum potest occurrere in Dominicis Aduentus, & à Septuagesima vsque ad Dominicam in Albis inclusiue, in Vigilia Natiuitatis Domini, in Circumcisione, in tota Octaua Epiphaniæ, in Feria quarta Cinerum, in

tota maiori Hebdomada, infra Octauam Paschæ, Ascensione Domini, in diebus à Vigilia inclusiue Pentecostes vsque ad Festum Trinitatis inclusiue, in Festo Corporis Christi, & eius die Octaua, in Assumptione B. Virginis & in Festo Omnium Sanctorum, quæ dicitur vltima Festa addita sunt in postrema recognitione: & tunc Duplex transfertur in primam diem Festo nouem Lectionum non impeditam, *Radulph. meminit Propos. 15. Microlog. etiam cap. 42.* tradit, occurrentibus duobus Festis, minus nobile differri.

2 Si verò est Duplex primæ classis, de eo fit in Dominicis secunda, tertia, quarta Aduentus, & Quadragesimæ, in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ, & infra Octauam Epiphaniæ; quia ratio Festi, & præsertim Patroni loci, seu Titularis Ecclesiæ, vel Dedicationis eiusdem, præualet penes populum eius loci: neque hæc Dominicæ pares sunt primis Dominicis, in quibus mysteria Religionis nostræ inchoantur.

3 Si contingat, vt duo Festa Duplicia occurrant eodem die infra Octauam, hoc est, in Ecclesia aliqua particulari, quæ fortè celebret Octauam Patroni loci, infra quam potest occurrere Duplex ex Festis mobilibus vnà cum Duplici per annum in Calendario Romano; eo casu debet transferri Duplex minus in primam diem similiter non impeditam. & hic est sensus Rubricæ de Translatione Festorum num. 3. quam putant aliqui esse superfluum: sed idèd sancita fuit ad differentiam Semiduplicis, cuius translatio aliquando fit extra Octauam. Et hæc de Duplici.

4 Semiduplex potest occurrere in diebus prædictis num. 1. & 2. & præterea



tereà infra Octauam Corporis Christi, & alijs Dominicis per annum, in quibus omnibus casibus transfertur in primam diem non impeditam simili Officio, hoc est nouem Lectionum, quale item est dies infra Octauam, quod in postrema Breuiarij recognitione dictum est. Quod si occurrit in Dominica infra Octauam, quæ admittit Semiduplex Festum, tunc in sequentem Feriam secundam transfertur; & si est impedita, ultra Octauam, ne nimium inturbetur Octaua, & numero dierum nimis minuatur. Eadem de causa Semiduplex occurrens infra Octauam Corporis Christi, si proximè sequantur Octauæ S. Ioan. is, & SS. Petri & Pauli, transfertur post omnes Octauas. & hoc est quod addit Rubrica in fine num. 5. *Ita ut, inquit, Festum Semiduplex infra Octauam non transferatur, nisi in proximè sequentem diem.* id est, si sequens erit impedita, transfertur Semiduplex ultra omne Officium 9. Lectionum. Ratio est, quia, amisso iure vicinitatis ad proprium diem, non est maior ratio cur citius celebretur.

5. Occurrentibus pluribus Festis nouem Lectionum, transferatur illud quod est minus nobile; vel ratione ritus, puta, quia Semiduplex; vel ratione personæ quæ sit inferioris ordinis, si in ritu sint æquales. Hic est sensus Rubricæ num. 6.

6. Translatis pluribus Festis Duplicibus & Semiduplicibus, fiat Officium prius de digniori quoad ritum; quod si æqualis sit ritus, fiat de eo prius, quod erat prius in Calendario celebrandum. ita, licet obscurius, in *Rubr. num. 7.*

7. Si verò occurrat in Dominica in Albis, vel Trinitatis, aliquod Festum,

quod ex prædictis debet transferri (nulla ratione habita, quòd habeat ius ad eam Dominicam) fiat in Feria secunda non impedita de Festo prius translato, ordine seruato dignitatis & Calendarij, prout verè sonant verba dictæ Rubricæ de Translatione Festorum num. 7. examinata in postrema recognitione Breuiarij, & in hunc sensum communiter accepta: quia verè & illud ipsum est à suo die translatum.

8. Festum Simplex non transfertur, sed vel Officium, vel commemoratio fit de eo; aut verò etiam omittitur, si occurrat in Festo primæ classis. Alicubi potest accidere, ut numquam de eo fiat, neque commemoratio; ut in Ecclesijs sancto Augustino, sancto Iacobo dicatis, & alijs sanctis Patronis locorum, seu Titularibus Ecclesiarum, numquam fit de sanctis Hermete, Christophoro, & similibus.

9. Translato fortasse Festo nouem Lectionum, quo cum facienda est commemoratio Festi Simplicis, non transfertur Festum Simplex, de quo fit semper proprio die, nisi impediatur à Festo solemniori; & eodem modo, translata in præcedens Sabbatum aliqua Vigilia, quæ occurrit cum Festo Simplici in Dominica, non tamè transfertur Festum Simplex, sed de eo fit in Dominica, & proprio die: quia illud tantum est transferendum, quod proprio die impeditur à maiori Officio.

10. Aduerte prætereà, quòd si Translatio alicuius Festi fiat à tempore Paschali ad tempus non Paschale, recitandum erit Officium temporis non Paschalis, quòd accidit in Translatione sanctorum Martyrum mensis Maij, & aliquorum mensis Iunij.

11. Attinent ad hoc caput ex Rubricæ quæ habentur extra Titulos alia-



rum Rubricarum generalium, nempe inter duas Tabellas de occurrentia & concurrentia Officij: & primò, si occurrant duo Festa eodem die sub vna ratione. Festi in Calendario Romani Breuiarij, quorum tamen alterum est Patroni, seu Tituli Ecclesiæ; Festum verbi gratia S. Sebastiani, cui cum sancto Fabiano fit ordinariè Festum, eo casu fit de Patrono seu Titulari tantum, hoc est de S. Sebastiano solo, vti Festo primæ classis, non autem de socio eo die. Aliqui putarunt, hanc Rubricam loqui de occurrentia duorum Festorum, quorum alterum est in Calendario Romano, alterum in Calendario loci proprio, sed falluntur, ex ijs verbis, *Descriptus fit eodem die in Calendario*; non ait *Calendarijs*. & loquitur de Calendario Romano, me teste, in recognitione Clementina: nam de occurrentia duorum Calendariorum agitur in Rubrica de *Translat. Fest. nu. 6.*

12 Qui verò hac de causa in eorum proprio die omittuntur, vel sunt in Calendario Romano sub ritu Duplici, seu Semiduplici; & tunc prima die similiter, id est simili Officio, si Octauam habet, non impedita, fit Officium de omissis sub ritu Semiduplici; puta in exemplo allato, fiet de sancto Fabiano ritu Semiduplici post Octauam S. Sebastiani: vel sunt sub ritu Simplicis, & tunc in ea Ecclesia nihil fit de socijs omissis. Exempli gratia, in Ecclesia SS. Marcellino & Petro dicata, sanctus Erasmus nihil habet vquam, neque commemorationem, *die 2. Iuny.* Ratio verò, cur in hac diuisione fiat alterum Festum ritu Semiduplici, est; quia non transfertur Festum, nisi sit saltem Semiduplex; & diuisio ritus Duplicis Festi plurium Sanctorum visa est fieri satis congruè, si socij gaudeant

ritu saltem Semiduplici, nisi sint, vt mox dicemus, altioris ordinis.

13 Quòd si ij qui diuiduntur sunt altioris ordinis & classis, vt in Ecclesia S. Philippi Apostoli, de quo solo fit idcirco Festum primæ classis; eo casu in prima die non impedita fiet Officium de translato S. Iacobo sub ritu Duplici secundæ classis, quia est de duodecim Apostolis, & die 4. Maij in Laudibus tantum fiet commemoratio cum nona Lectione S. Monicæ.

14 Porro, prædicta separatione facta Patroni seu Titularis à socijs, quos illi habent in Calendario Romano, curandum erit, vt Oratio, Lectiones & Euangelium cum Homilia congruant Festo, ita vt pro vno, non pro pluribus Officium fiat; & deficientibus proprijs erit ad Commune Sanctorum recurrendum, referuata Patrono potius quam socijs Oratione propria, & in numero singulari accommodata: pro socijs autem sumatur de Communis, vt sit varietas; nisi fortè contingat de socijs Officium fieri extra Octauam Patroni, seu Tituli. quo casu variandi necessitas minùs vrgeret.

15 Quæsitum est aliquando, quid agendum esset in Ecclesia Regularium, in qua occurrebant duo Festa eodem die, Patroni principalis loci, & Titularis Ecclesiæ illorum Regularium. Et posito, quod supra docuimus, teneri Regulares ad Officium de Patrono, infertur manifestè, quòd de Patrono loci, tamquam de digniori, recitandum sit Officium, translato Titulari, qui est minùs dignus, *de Transl. Fest. tit. 10. num. 6.* tum quia in Rubrica semper præponitur Patronus Titulari; tum quia ille totius loci est Protector, hic vnus templi particularis; tum quia æquius est, vt populus vbique eo die



die audiat Missam de suo Patrono. Quod si quotannis hic accidat occurfus, assignanda erit dies sequens in perpetuum Titulari illius Ecclesie, nisi ex priuilegio aliter fieri debeat. A fortiori cedit Patrono loci aliud quodcumque Festum Regularium inferioris classis, puta Conceptionis beatæ Virginis, si occurrat in Festo Patroni loci: quod eo magis patet, quia Festum Conceptionis cedit Dominicæ secundæ Aduentus, cui non cedit Patronus loci, de *Transl. Fest. num. 1.*

16 Officia concessa ad libitum in pari gradu cedunt alijs de præcepto, vel ex vi Rubricarum recitandis.

*De Commemorationibus.*

C A P. XI.

**Q**uatuor præscribuntur in Breuiario in tit. de Commemorationibus: & Primò, quibus diebus, & de quibus Festis seu Officijs facienda sit commemoratio. Secundò, quo loco, in qua parte dinini Officij. Tertiò, quo modo, quæue ratione. Quartò, quo ordine, quando multæ sunt simul faciendæ. & de his singillatim dicemus.

2 De Feria maiori, de Simplici, de sancta Maria in Sabbato, de die infra Octauam, de Semiduplici, de Dominica, de die Octaua, de Duplici omnium classium contingit fieri commemorationem in Officio, vt ex sequentibus hoc eodem ordine patebit.

3 Nam de Feria maiori fit commemoratio, quando Festum nouem Lectionum in ea occurrit, neque vquam omittitur de ea commemoratio, exceptis Vigilijs quæ occurrunt in alia Feria maiori, puta Aduentus, aut Quadragesimæ; vel occurrunt in Fe-

sto Duplici primæ classis, quia tunc nihil fit de Vigilia, excepta Vigilia Epiphaniæ.

4 De Simplici fit commemoratio, quando occurrit in Feria maiori, Vigilia, sancta Maria in Sabbato, die infra Octauam, Semiduplici, Dominica, die Octaua, & in Duplici per annum, tam in primis Vesperis quàm in Laudibus, in Duplici Festo secundæ classis tantum in Laudibus; item in eiusdem Festi Simplicis primis Vesperis, quando cum eo pridie concurrit Semiduplex, Dominica, dies Octaua, Duplex per annum, Duplex secundæ classis; non autem quando Duplex primæ classis concurrit cum Simplici.

5 De sancta Maria in Sabbato fit commemoratio, quando cum ea pridie concurrit dies Octaua, Semiduplex, Duplex per annum (modò non sit Festum beatæ Virginis, ne de eadem fiat Festum & commemoratio) Duplex secundæ classis, non primæ.

6 De die infra Octauam fit commemoratio, quando in ea occurrit dies Octaua alterius Octauæ, vel dies infra aliam Octauam digniorem, vel Duplex per annum, vel Dominica; non autem, quando Duplex primæ vel secundæ classis occurrit, exceptis Octauis SS. Stephani, Ioannis & Innocentium, de quibus fit commemoratio in Festo secundæ classis, eo modo, quo in Festo S. Ioannis Euangelistæ fit de die infra Octauam S. Stephani, & in Festo Innocentium de diebus infra Octauam S. Stephani & S. Ioannis, ex priuilegio speciali. Item quando concurrit cum sequenti die Octaua alterius Octauæ, Duplici per annum, & Dominica quacumque, non cum alijs.

7 De Semiduplici fit commemoratio, quædo concurrit cum sequenti die infra



infra Octauam, die Octaua; cum alio Semiduplici, cum Duplici per annum, & Dominica, non cum alijs.

8 De Dominica, quando in ea occurrit Duplex primæ aut secundæ classis, aut Duplex per annum, aut dies Octaua. Item quando ea concurret cum sequenti Duplici per annum, aut cum die Octaua, non cum alijs.

9 De die Octaua fit commemoratio, quando in ea occurrit alia dies Octaua dignior, aut Duplex primæ vel secundæ classis, aut Dominica primæ vel secundæ classis. Item, quando concurret cum sequenti alia die Octaua, Duplici per annum minore, & maiore, & cum Duplici secundæ classis, non cum alijs.

10 De Duplici minore per annum fit commemoratio, quando concurret aut cum sequenti alio Duplici minore, aut cum die Octaua, aut cum Duplici maiore, aut cum Duplici secundæ classis, non cum alijs.

11 De Duplici maiore per annum fit commemoratio, quando concurret cum alio Duplici maiore, digniore, per annum, aut cum Duplici secundæ classis.

12 De Duplici secundæ classis fit commemoratio, quando concurret cum Duplici primæ classis, vel cum Duplici secundæ classis digniore.

13 De Duplici primæ classis fit commemoratio, quando concurret cum alio digniore Duplici primæ classis. Hæc sunt quæ patiuntur commemorationem sui ipsorum in Officio diuino.

14 Ex dictis patet vice versa, quod Duplex primæ classis admittit in primis Vesperis commemorationem de Duplici primæ classis minùs digno, de Duplici secundæ classis, de Dominica primæ vel secundæ classis, & item de

Dominica per annum, si illud Festum occurrat in Dominica, de Feria maiori, non de alijs. In Laudibus admittit commemorationem Dominicæ secundæ classis, & per annum, diei Octauæ, & Feriæ maioris, non tamen Vigiliæ. In secundis Vesperis admittit commemorationem Dominicæ cuiuscumque, Duplicis primæ classis minùs digni, Duplicis secundæ classis, & per annum, diei Octauæ, Feriæ maioris, non aliorum.

15 Duplex secundæ classis admittit in Vesperis primis commemorationem Dominicæ primæ vel secundæ classis, & Dominicæ per annum, si illud occurrat in Dominica, Duplicis secundæ classis minùs digni, Duplicis per annum, diei Octauæ, Feriæ maioris, non aliorum. In Laudibus admittit commemorationem Dominicæ cuiuscumque, diei Octauæ, Festi Simplicis, & Feriæ maioris. At cur non diei infra Octauam? hæc enim maior est Simplicis Festo. Sed ratio dispar est; quia de Octaua sæpiùs, de Simplicis semel fit, quo die occurrit. In secundis Vesperis admittit commemorationem Dominicæ cuiuscumque, Duplicis secundæ classis minùs digni, Duplicis per annum, Semiduplicis, Simplicis, diei Octauæ, diei infra Octauam, si de ea sequenti die fiat Officium, sanctæ Mariæ in Sabbato (nisi Festum sit beatæ Mariæ) & Feriæ maioris. Si sequatur aliud Festum secundæ classis minoris solemnitatis, de quo idcirco in dictis Vesperis fiat tantum commemoratio, & in eodem Festo sequenti occurrit Festum Simplex, tunc in secundis Vesperis integris præcedentis Festi nihil adhuc fit de Simplicis; quia Festum sequens licet non habeat Vesperas, habet tamen in



in suis primis Vesperis excludendi commemorationem Festi Simplicis casus accidit, & ita respondit.

16 Duplex per annum maius in primis Vesperis admittit commemorationem Dominicæ cuiuscumque, tum Duplicis minoris per annum, Semiduplicis, Simplicis, diei infra Octauam, diei Octauæ, cum qua concurrat, & Feriæ maioris. In Laudibus admittit commemorationes Dominicæ, Festi Simplicis, diei infra Octauam, & Feriæ maioris. In secundis Vesperis admittit commemorationem Dominicæ cuiuscumque, Duplicis minoris per annum, Semiduplicis, Simplicis, diei infra Octauam, diei Octauæ, Feriæ maioris, & B. Mariæ in Sabbato.

17 Duplex per annum minus in primis Vesperis admittit commemorationem Dominicæ cuiuscumque, Semiduplicis, Simplicis, diei infra Octauam, & Feriæ maioris. In Laudibus admittit commemorationem Dominicæ per annum, Festi Simplicis, diei infra Octauam, & Feriæ maioris. In secundis Vesperis admittit commemorationem Dominicæ, Semiduplicis, Simplicis, diei infra Octauam, Feriæ maioris, & beatæ Mariæ in Sabbato.

18 Dies Octaua admittit commemorationes, quas Duplex per annum minus, sed dies Octaua Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, & Corporis Christi sunt Duplicia maiora, quæ habent integras Vesperas, & admittunt eas tantum commemorationes, quas concessimus Festo Duplici maiori per annum, si accidere possint.

19 Dies infra Octauam admittit in primis Vesperis commemorationem Semiduplicis, cum quo diuidit Ve-

speras, Simplicis, & Feriæ maioris. In Laudibus & secundis Vesperis admittit commemorationem Simplicis, & Feriæ maioris in omnibus, & alterius diei infra Octauam minus dignam.

20 Semiduplex admittit in primis Vesperis commemorationem Semiduplicis, & diei infra Octauam, cum quibus Vesperas diuidit, Simplicis, & Feriæ maioris. In Laudibus commemorationem diei infra Octauam, Simplicis, & Feriæ maioris. In secundis Vesperis commemorationem alterius Semiduplicis, Simplicis, B. Mariæ in Sabbato, & Feriæ maioris.

21 Dominica in primis Vesperis admittit commemorationem Semiduplicis, & diei infra Octauam, cum quibus diuidit Vesperas, & Festi Simplicis. In Laudibus commemorationem diei infra Octauam, & Simplicis. In secundis Vesperis commemorationem Semiduplicis, diei infra Octauam, & Simplicis.

22 Simplex in primis Vesperis & Laudibus admittit commemorationem tantum alterius Simplicis; alijs Officium cedit.

23 Sancta Maria in Sabbato admittit commemorationem in primis Vesperis, & Laudibus Festi Simplicis tantum; cedit Officium alijs.

24 De tribus Octauis fit commemoratio in vtrisque Vesperis, & Laudibus, quocumque Festo infra eas adueniente, nimirum Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, & Corporis Christi.

25 Ratio verò prædictorum desumitur ex maiori vel minori qualitate Festi: quo enim est nobilius, magis etiam habet de Officio, & minus de aliorum commemoratione. Dicamus nunc de loco faciendæ commemorationis, in qua parte Officij fiat.



26 Fit commemoratio in Vesperis & Laudibus post Orationem Festi, de quo fit Officiū; & si habeatur Lectio, vltimo loco legitur in tertio Nocturno ante Hymnum *Te Deum*. Modum commemorationis fusiùs explico.

27 Fit hoc modo commemoratio. In Vesperis sumitur Antiphona, quæ est assignata Cantico *Magnificat*, cui additur Vers. qui dicitur post Hymnum Vesperatum, tum Oratio eius de quo fit commemoratio. sumuntur autem vel de Proprio, vel de Comuni. Eodem modo fit in Laudibus cum Antiphona Cantico *Benedictus* assignata, & Versu, qui habetur post Hymnum ad Laudes.

28 Si ex eodem Comuni sumitur commemoratio, vnde sumptum est Officiū, variantur Antiphonæ & Versus, ita, vt in Vesperis sumatur commemoratio ex Laudibus, & e-contrà, nisi aliter signetur, inquit Rubrica de Commemoratione num. 8. quia in Festo sancti Hilarij in secundis Vesperis aliter res se habet, vt videre est in eo loco. Quod de Antiphona & Versu dicitur, intellige quoque de Versu tantum, vt varietur, si est opus, & similiter de Oratione. Neque refert, si pro commemoratione eiusdem contingat dici eundem Versum in primis Vesperis & Laudibus, vt in Festo S. Donati, in quo fit aliquando de translata Inuentione S. Stephani; & pro commemoratione S. Donati dicitur & in Vesperis & in Laudibus idem Versus, *Iustus vt palma*, &c. quia in Laudibus nulla est necessitas variandi Versum de Laudibus proprium, vt patet.

29 Dubitauere quidam, An Antiphonæ ad *Benedictus* in Comuni Pontificum & non Pontificum Con-

fessorum sint diuersæ, vt altera pro Officio, altera pro commemoratione in Laudibus deferuire queant, quibus ego respondi, Initio esse vnã, in fine apparere diuersas: & hoc sufficit ad varietatem: quod etiam fit in praxi communi. Habes nunc exemplum in Breuario in Festo sancti Bonauenturæ, & sancti Henrici.

30 Quæres adhuc: Quid agendum, quando in Officio de vno Martyre fit commemoratio de Martyre altero, & inter Suffragia fit commemoratio de Patrono item Martyre per Antiphonas de Comuni, quinam Versus dicendus erit pro Patrono? Habes exemplum in secundis Vesperis sancti Hilarij, vbi tres concurrunt Confessores. vtere ergo vltimo loco Versu vltimo secundi vel tertij Nocturni: & idem fiat, si quatuor occurrant, adhibita Antiphona, quæ prima est Nocturni primi, & Versu Nocturnorum, qui non est dictus in commemorationibus.

31 Ratio verò, cur pro commemoratione sumantur Antiphonæ ad *Magnificat* & *Benedictus*, ea esse potest; quia sunt nobiliores Antiphonæ, tum ratione Canticorum Evangelicorum, tum vicinioris aditus ad Orationem, seu Collectam, quæ dicitur pro commemoratione.

32 Commemoratio de Dominica, vel de Feria maiori, vel de die Octaua SS. Petri & Pauli ( si in ea occurrat nobilius Festum ) quæ habet Homiliam cum suo Euangelio, addit præterea Lectionem eiusdem Homiliæ in fine tertij Nocturni pro nona Lectione, id est, vel primam tantum de Homilia, vel tres in vna simul Lectione coniunctas. Sicut enim in Missa pro commemoratione Dominicæ,



nica, vel dicta Feria, vel diei Octauae, populo legitur Euangelium in fine Missae, ne sit Euangelium aliquod in Missali, quod non aliquando legatur populo; ita conuenit, ut in Choro exponatur illud idem Euangelium per Homiliam in fine Officij Marutini, in quo paulò antè per aliam Homiliam declaratum est Euangelium principale Festi, & Officij.

33 De Sanctis autem, qui propriam Lectionem habent de vita & gestis ipsorum, conuenit etiam ut legatur ad instructionem Cleri, quae erit nona, si vna est, vel de duabus fiat vna; quam congruentissimè sequitur laus diuina per Hymnum *Te Deum*. Quòd si Hymnus hic non sit dicendus, omittitur eo casu Lectio de Sancto; quia Responsorium nonum, quod vice Hymni *Te Deum* dicitur, non benè quadrat Lectioni de Sancto, sed benè Lectioni Homiliae; & ideò nona Lectio est de praecedenti eadem Homilia.

34 Dixi, qui propriam Lectionem habent, non appropriatam de Comuni, ut in Festis SS. Naboris & Felicis, S. Margaritae, & aliorum. Et adest exemplum in Festo S. Augustini, cuius nona Lectio non est de sancto Hermete, quia propriam non habet laudem, si de Comuni sumatur. imò etiam in Rubrica de *Translat. Festorum nu. 9.* expressè habetur; *Si propriam, inquit, de vita Sancti habuerit Lectionem.*

35 Si verò duae commemorationes occurrant in eodem Officio, scilicet Dominicae, vel Feriae maioris, quae habet Homiliam, & Simplicis Festi, quod habet propriam Lectionem, tunc omittatur Lectio de Sancto, & legatur Homilia; quia Domi-

nica & Feria maior digniores sunt Festo Simplicis: imò & omittitur, quando in feriali Officio Feriae maioris tres tantum leguntur Lectiones, quia non dicitur Hymnus *Te Deum*, sed tertium Responsorium, quod non responderet Festo Simplicis; vel certè ideò sit infra Octauas Paschae & Pentecostes, quando in ijs occurrit Festum Simplex, quia parum legitur de solemniori Festo, quod non videtur minuendum, dempta illius tertia Lectione pro Lectione de Sanctis.

36 De die infra Octauam non legitur nona Lectio, licet habeat in Breuiario & Octauario Homiliam qualibet die; quia Euangelium lectum est in die Festo, & repetitur infra Octauam saepè; neque legitur in fine Missae, licet de ea fiat in Missa commemoratio: imò, neque si habeat Euangelium diuersum ab Euangelio Festi, quod accidit infra Octauam Apostolorum Petri & Pauli, & conceditur in Octauario Romano *Notat. 4.*

37 Accidit alicubi, quòd Octaua Apostolorum Petri & Pauli occurrat in Dominica, in qua fit de Titulari Ecclesiae cum commemorationibus Octauae, quae habet proprium Euangelium, & Dominicae: quares, quòdnam Euangelium cum sua Homilia legetur pro nona Lectione, Octauae, an Dominicae? illa enim, quae Duplex est, dignior est Dominicae. Nihilominus ego legerem potius Euangelium Dominicae: neque enim vacare permittitur aliqua Dominica per annum, quin de ea, saltem in Sabbato praecedenti, fiat commemoratio, ut dictum est supra *cap. 5.* & hoc ratione sit Euangelij, ut legantur populo per annum in Missa omnia Euangelia Dominicalia; si verò



in Missa est legendum, ergo & in Officio. Reliquum est, vt significemus ordinem commemorationum.

38 Quando contingit fieri plures commemorationes, seruetur hic ordo. De Duplici fiat ante Dominicam, de Dominica ante Festum Semiduplex, de Semiduplici ante diem infra Octauam, de Octaua ante Ferias maiores, & de his ante Festum Simplex. Hæc Rubrica de *commem. nu. 11.*

39 Latet hîc quod pauci norunt. Cur enim de Semiduplici ante diem infra Octauam, cum in concurrentia Semiduplicis cum die infra Octauam dixerimus supra, fieri à Capitulo de die infra Octauam cum commemoratione Semiduplicis: ergo inde sequitur, quod ordo commemorationum erit, de die infra Octauam ante Semiduplex. At vide disparitatem. Nam in ratione Officij diuiduntur Vesperæ, ita vt ad præcedens Festum prima pars spectet, ad sequens altera à Capitulo; sed in ratione simplicis commemorationis, puta quando Semiduplex concurret cum Duplici infra Octauam Festi habentis Octauam, quia Semiduplex Festum est nobilius per se loquendo (quia Festum est) quam dies infra Octauam, quæ est continuatio Festi, vt diximus supra *cap. 8. num. 4.* idcirco fit commemoratio Semiduplicis ante diem infra Octauam. Casum habes in terminis in secundis Vesperis sancti Thomæ Cantuariensis, quando concurret cum Festo sancti Siluestri, in quibus integræ Vesperæ sunt de Duplici cum commemoratione sancti Thomæ Semiduplicis, & deinde Octauarum.

40 De sancta Maria in Sabbato, si in Feria sexta fiat Festum nouem Lectionum, fit commemoratio ante Fe-

stum Simplex, quod celebratur in Sabbato.

41 De Festo Simplicis fit commemoratio ante suffragia Sanctorum, seu communes commemorationes, de Cruce, sancta Maria, &c. & ante commemorationem cuiusque Tituli vel Patroni Ecclesiæ, quæ fortè omnibus suffragijs præponeretur pro sui dignitate, veluti sanctissimæ Trinitatis, Corporis Christi, &c. quia, cum hæc commemorationes dicantur, & sint communes, cedunt simplicibus, quæ eo die locum proprium & festiuum habere debent, ita seruos suos honorante ipsomet Deo, & quasi locum cedente in eorum Festo.

42 Denique fit commemoratio tantum Festi Simplicis in Vesperis de Feria, quando postridie de eodem faciendâ est tantum commemoratio, ob concurrentem Feriam quartam Cinerum, seu Feriam quartam aut sextam Temporum, aut Vigiliam; quia non habet Officium, ergo neque primas Vesperas: sicut etiam omittitur & ipsa commemoratio in Feria quarta maioris Hebdomadæ, cum in sequenti Feria nihil fiat de Festo Simplicis.

43 Ratio prædicti ordinis patet. congruit enim qualitati Festorum & Officiorum; & eo ordine, quo Festa prædictorum fierent, eodem faciendæ sunt solemnes, non communibus comparatæ, commemorationes.

De Patrono loci, & Titulo  
Ecclesiæ.

CAP. XII.

**P**atroni Festum fieri congruè docuimus supra *cap. 2. ex Microt. cap. 13. & Radulphi Propos. 17.* & fieri sub ritu Duplici primæ



primæ classis ibidem ex Rubricis generalibus *num. 4.* Quæritur, quomodo differant Patronus & Titulus Ecclesiæ. Respondeo, Patronum esse, quem Episcopus cum populo sibi Patronum eligit, eò vel quia primus eo loci Episcopus fuit, vel quia ibi humatus, vel quia ciuis eiusdem loci, vel quia iuuit aliquando mirabiliter in eiusdem populi necessitatibus, vel ob alias similes causas. Datur autem Titulus Ecclesiæ, qui non ita latè patet vt Patronus loci, puta, quia Ecclesia dedicata est sub inuocatione sanctissimæ Trinitatis, Corporis Christi, sanctæ Crucis, beatæ Mariæ, Sanctorum, &c. Cur verò dicatur Titulus, dicam *Sectione 8. cap. 5.*

2. Nonnulli vocant Patronos eos, erga quos solo deuotionis affectu mouentur, non communi toti ciuitati, seu loco; at de ijs non loquitur Rubrica, quæ *locum* accipit pro multitudine Cleri & populi, ex communi modo loquendi. In posterum decernendi erunt Patroni iuxta Decretum quod sequitur.

*Decretum super electione Sanctorum in Patronos, à sacra Rituum Congregatione de ordine S. D. N. Urbani Papa VII. emanatum die 23. Martij 1630.*

**S**acra Rituum Congregatio, annuente sanctissimo D. N. in electione Patronorum mandauit inscripta in posterum seruari debere, declarans, quòd aliter facta electio nulla sit ipso iure.

Primo, quòd eligi possint in Patronos ij solum, qui ab Ecclesia vniuersali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat.

Secundò, quòd de Patrono ciuitatis electio fieri debeat per secreta suffragia à populo, mediante Consilio generali illius ciuitatis, vel loci, non autem ab Officialibus solum; & quòd accedere debeat consensus Episcopi & Cleri illius loci.

Idemque seruari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per secreta suffragia à populo singularum ciuitatum Prouinciæ.

Et quòd repræsentantibus Regnum, ciuitatem, Prouinciã, nulla competat facultas eligendi Patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, & vterius interueniat consensus Episcopi & Cleri dictarum ciuitatum.

Et Tertio, quòd causæ electionis nouorum Patronorum debeant in sacra Congregatione deduci, & ab ea examinari, ac demum causa cognita, ab eadem Congregatione approbari, & confirmari.

Et ne præmissorum ignorantia vllò vnquam tempore possit allegari, eadem sacra Rituum Congregatio supradictum Decretum imprimi & publicari mandauit.

Io. Bapt. Card. Detus.

Loco † Sigilli.

T. Tegrinius Sec.

**R**atio Decreti est, & primæ quidem conditionis est, quia Beatificati non possunt esse Titulares Ecclesiarum, quarum ædificatio conceditur in honorem Canonizatorum tantum in Bulla Canonizationis, non ergo Patroni esse debent, quorum gradus est nobilior quàm Titularium. Neque Beatificatis dari solet à sacra Congregatione Rituum aliud Offi-

F 3 cium



cium quàm Duplex maius per annum, Patronis autem Duplex primæ classis. Decretum tamen comprehendit etiam Patronos minùs principales, quos decet esse Sanctos vniuersales.

Alterius conditionis ratio est: quia primò populus debet eligere ob beneficia à Sancto accepta; deinde Clerus debet consentire, vt postea colatur cum Officio debito & Missa.

Tertiæ conditionis est ratio: quia sæpenumerò sine causa, arbitrio Principum, vel arte aliorum, minùs legitima extorquentur vota Consiliariorum & Episcoporum; Romæ verò censura est liberior, & ob auctoritatem Sedis Apostolicæ securior, & sanctior.

3 Dantur Patroni vnius ciuitatis, & Patroni vnius Prouinciæ, vt Mediolanensis Prouinciæ, decreto Prouinciali Patronus est sanctus Ambrosius. Dantur etiam plures Patroni loci, ex Rubric. de Officio Duplici num. 1. vbi habentur hæc verba: *In Festo Patroni vnius vel plurium alicuius loci.* è quibus vnus esse debet principalis, ex Rubric. de Octau. nu. 1. alij minùs principales. Titulus autem Ecclesiæ vnius materialis solet esse vnicus; sed tamen potest etiam esse plurius Sanctorum, vt apud nos Romæ Ecclesia SS. Blasij & Caroli, in qua duo Festa celebrantur; vel plurius sub eodem Festo, vt SS. Cosmæ & Damiani, & similia.

4 Tam de Patrono principali quàm de Titulari Ecclesiæ fit Officium, vt de Duplici primæ classis, vt in Rubrica de Commemoration. num. 3. Item fit Octaua de vtroque, in Rubrica de Octauis num. 1. & quæcumque supra dedimus Duplici primæ classis, &

Octauis, eadem concedenda sunt Patrono principali loci in loco suo, & Titulari in Ecclesia sua. Eadem enim est ratio solemnitatis in vtrisque.

5 At quinam tenentur ad Festum & Officium de principali loci Patrono? Sacra Rituum Congregatio decreuit sapiùs, Regulares etiam teneri ad Festum de Patrono loci, & Officium solemne, iuxta Bullam Gregorij XIII. die 30. Decembris 1573. non tamen teneri ad Octauam eiusdem: quod nouo Decreto firmatum est à S. Rituum Congregatione die 27. Martij 1628. & illud quidem decretum est, vt populus, qui in eo Festo ad Regularem Ecclesiam accedit, Missas & Officia diuina auditorus, ad pietatem erga Patronum suum non minùs accendatur, quàm si ad Ecclesiam confluat Cathedralam. Octaua verò satis est, si fiat à Clero sæculari illius loci: neque cogendi sunt Regulares, occupati etiam proprijs Religionis Officijs, ad omnia Cleri sæcularis Officia recitanda.

6 Si Patroni plures seu Titulares conceduntur, vt supra numero 2. eritque eorundem æquale Festum, hoc est primæ classis cum Octaua? Officium quidem singulorum Duplex erit, vt dicitur in Rubrica de Officio Duplici numero 1. sed Octaua non conceditur, ex Rubricis Breuarij de Octauis num. 1. nisi Festo principalis Patroni, & principalis item Titularis Ecclesiæ; imò neque primæ classis Festum erit, nisi sit solemne principale Festum principalis Patroni, aut Tituli Ecclesiæ, vt aperte in Rubrica de Commemorat. num. 3. & 4. quale non est Patroni Translatio, nec Festa similia.

7. Neque



7 Neque de his Patronis minùs principalibus tenentur Regulares Officium recitare, si non sunt in Calendario Romano, quos nulla lex obligat: laudabile tamen est, si recitent in gratiam populorum, vt paulò suprà diximus; & eò magis, si populus agat Festum sine opere seruilii. Officium autem erit Duplex maius per annum, ex Rubrica de *Concurr. num. 2. in fine.* quod addidimus ante Tabellas in postrema recognitione Breuiarij.

8 Quid, si accidat, quòd in Cathedrali fiat de Patrono loci absque Octaua, veluti Mediolani de S. Ambrosio, cuius Festum ritu Ambrosiano non habet Octauam; an subditi Archiepiscopo Mediolanensi, secundùm ritum Romanum Horas Canonicas recitaturi, teneantur ad Octauam sancti Ambrosij celebrandam? Negant aliqui, quia satis est, vt membra à capite non discordent. Affirmant alij, quia tenentur ad seruandas Breuiarij Romani Rubricas; quibus ego magis assentior in gratiam Rubricarum Romanarum. Nostri Ordinis Patres celebrant ibidem sancti Ambrosij Octauam, etiam ex vi nostrarum Constitutionum, quæ l. 2. cap. 5. id præcipiunt vbique fieri in Festo Patroni loci.

9 Ceterùm Patroni seu Tituli Festum licet excludatur, si incidat infra Octauas Paschæ & Pentecostes, & in Hebdomada maiori; locum tamen habet infra Octauas Epiphaniæ, quæ Duplicita alia Festa excludit.

10 In die Octaua Epiphaniæ, si incidat Patronus vel Titularis Ecclesie in eam diem, transfertur Festum Patroni; & eodem modo si in Dominica prima Aduentus & Qua-

dragesimæ, Dominica Passionis, Palmatum, Paschæ, in Albis, Pentecostes & Trinitatis: in quibus mysteria Redemptionis nostræ à populo quoque sunt magis celebranda, licet quædam ex prædictis Festis sint classis secundæ. Idem fiat, si incidat in Vigiliam Natiuitatis Domini & Pentecostes, in die Circumcisionis, in Feria quarta Cinerum, vt scilicet transferatur.

11 Tanta est solemnitas Patroni principalis loci, vt, si incidat in Vigiliam, quæ sit in Calendario cum ieiunio de præcepto, nihil in Officio fiat de Vigilia, quæ mœstitiam infert; in mensa tamen ieiunandam erit, nisi transferatur in præcedentem diem ieiunium ipsum auctoritate Maiorum. de qua suprà cap. 7. num. 5. pag. 28.

12 Habet integras vtrasque Vesperas, nisi concurrat cum Festis Christi primæ classis, aut B. Virginis assumptæ, aut Dedicacionis propriæ Ecclesie, ex ijs quæ diximus suprà cap. 8. num. 7. & cap. 9. num. 3. ad eò, vt eidem cedant in concursu tum secundæ Vesperæ diei Octauæ Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, & Corporis Christi; tum primæ Vesperæ diei Octauæ Ascensionis & Corporis Christi, vt in *Notis dicitur Tabella. 2. de Concurrentia.*

13 Debentur eidem Lectiones in primo Nocturno, quæ habentur in Communi, non autem de Scriptura occurrente, ad maiorem celebritatem, vt dicitur in Rubricis cap. de *Lectio-nibus num. 9.*

14 Lectiones secundi & tertij Nocturni, si non adsunt propriæ in Breuiario, neque extra Breuiarium approbata à sancta Sede Apostoli-



ca, sumantur de Communi, & de Octauario Romano in hanc præcipuè causam edito. nam in Officio nihil legendum est, quod ab eadem Sede Apostolica non sit approbatum, vt fusè probat *ex Gelasio Papa Radulphus Propos. 11. & Sixtus V. Cōst. 74.* concedens varias facultates S. Rituum Congregationi, Officia SS. Patronorum noluit approbari posse, inconsulto ipsomet Summo Pontifice. Approbata verò pro tertio loco negauit sapiùs S. Congregatio, extendi posse ad alia loca non consulta eadem Congregatione; quæ iustis de causis alicui loco concedit, alicui negat.

15 Quæritur de Titulo Altaris, seu Capellæ, quo ritu sit celebrandus. constat ex Rubrica de *Commemorationibus num. 3.* non esse celebrandum vt Duplex primæ classis; reliquum est igitur, vt celebretur prout in Calendario Romano describitur: in quo si neque nominatur, ad illud Altare celebrari poterunt Missæ Festiuæ, cum Hymno Angelico, vt alibi diximus; sed Officium nullatenus fiat sine licentia Majorum, ad quos attinet Officia mutare. qua de re diximus *Sect. 1. cap. 5. tit. 2. num. 9. pag. 7.*

16 Si Altare titulus est beneficij, Beneficiatus adhuc non debet Officium recitare de eo vt de Festo primæ classis, neque alio ritu quàm in Calendario sit descriptus; & eo ibidem non descripto, non video, qua ratione propria auctoritate possit de eo recitare Officium.

17 Si verò Titulus est Ecclesiæ diruta ad illud Altare translata; ille, qui emolumenta prædictæ Ecclesiæ percipit, æquum est, vt recitet Officium de eo in eius Festo, ne depercat cultus illius Titularis Ecclesiæ; &

ritus erit Semiduplex, nisi dignitas eiusdem aliud exposcat. exemplo sumpto à Vaticana Collegiata S. Petri, quæ celebrat Festum sancti Blasij Semiduplex, ob Ecclesiam eiusdem Sancti cum emolumentis vnitam Collegio Canonorum S. Petri: sed in his casibus consulatur sacra Rituum Congregatio. Vide quæ diximus *Sect. 2. c. 2. num. 26. pag. 16.*

18 Ceterùm Beneficiatus quilibet habens Ecclesiam, quæ est Titulus beneficij, licet apud eam non resideat, debet tamen Festum eiusdem colere vt primæ classis, & cum Octaua celebrare; quia Festum Tituli est Ecclesiæ.

19 Sed vtrùm cultus Titularis alicuius Ecclesiæ possit & debeat extendi ad alios de Clero extra propriam Ecclesiam, ita vt debeant omnes, tam in ciuitate quàm in Diœcesi, celebrare Festum particularis Ecclesiæ ritu Semiduplici, negauimus suprà *cap. 3. num. 5. pag. 22.*

20 Dies Octaua Patroni loci accidit alicubi in Festo Duplici, quod ibi est in præcepto, vnde populus magis optat audire Missas de Festo quàm de die Octaua, vt in vrbe Regij ditionis Estensis, in qua Octaua dies S. Prosperi occurrit in Festo Visitationis B. Virginis, quod ibi est de præcepto: quid ergo erit agendum? Sacra Rituum Congregatio approbans Officia pro Clero Regiensi, decreuit fieri Officium de Festo cum commemorat. Octauæ; aliàs transferretur Festum, vt de Octauis diximus *cap. 8. num. 12. pag. 31.* Si neget alijs, potest Episcopus transferre Festum de præcepto in sequentem diem, si ab eo pender.

21 An verò possit dies Octaua Patroni loci appellari maius Duplex, vt habeat



habeat integras Vesperas; negauimus  
suprà cap. 8. num. 23. pag. 33.

22 Quomodo separandus sit Patronus à socijs quos habet in Calendario; & quo ritu sit de socijs Officium faciendum, ostendimus suprà cap. 10. num. 11. & seqq. pag. 37.

23 In Vigilia Patroni, quæ habet Officium in Calendario, erit ea die omit-  
tenda commemoratio de Patrono, quæ solet fieri inter Suffragia, ne de eodem fiat Officium & commemoratio: quæ est indubitata regula in Officio diuino. Vide infrà Sect. 5. cap. 18.

24 Quæ diximus de Patrono principali loci, eadem conueniunt Fundatori & Patrono Ordinis in toto Ordine post solemnem Canonizationem eiusdem.

25 Negamus autem illud, quod non-nemo scripsit, nimirum, quòd infra Octauam Patroni, seu Tituli, seu Dedicationis propriæ Ecclesiæ, debeat fieri commemoratio de Octaua, quocumque adueniente Festo: quia gratis dicitur, & est priuilegium Octauarum Natiuitatis, Epiphaniæ & Corporis Christi tantum.

## SECTIO QVARTA.

### De proprio ritu singularum Horarum Canonicarum.

**P**ost Regulas generales totius Officij, veniendum est ad Regulas singularum Officij partium, hoc est Horarum, quo ritu quæque sit recitanda.

#### SECTIONIS QVARTÆ CAPITA SEX.

- 1 De Matutino.
- 2 De Laudibus.
- 3 De Prima.

- 4 De Horis, Tertia, Sexta, & Nona.
- 5 De Vesperis.
- 6 De Completorio.

De Matutino.

CAP. I.

**M**atutinum est vox antiqua, in Conc. Cabilon. II. Deducitur à Matuta, id est aurora. Sunt autem apud Auctores hæc synonyma pro eodem, Nocturni, Vigilæ nocturnæ & Matuti-

num, de quo hîc loquimur, vt est à Laudibus distinctum; nam alioquin suprà diximus Sect. 1. cap. 3. pag. 2. constituere vnã horam cum Laudibus. S. Isidorus 6. Etymol. cap. ult. deducit Matutinum à stella matutina lucifero, quæ oritur inchoante manè inter noctem & diem; vt hinc ediscas, si media nocte cum antiquioribus il-

G lud